



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1628. usque ad annum 1634

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118871

Liber CXCVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67394)



Lipfienſe prælium inter Cæſareos et Suecos.

HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ.

LIBER CXCVII.

URBAN. VIII. PONTIF. MAXIMUS.

FERDIN. II. OCCID. IMP.



§. I.

*Tillii & Wallenſteinii Fridlandiæ Du-
cis victoriæ.*

Postquam Cæſar jam cunctos per Im-
perium hoſtes debellaverat, pa-
cis firmitatem continuo intertur-
bare videbatur Chriſtianus Daniæ Rex;
Hiſt. Eccleſ. Tom. LIX. A quam
Sæc. XVII.
A. C. 1628.
*Theatr. Eu-
rop. p. 1060.*
*Lotich. rer.
Germ. l. 21,
cap. 1.*

Sæc. XVII. quamvis enim exercitu suo pene deleto,
 Sæc. 1628. ac Chilonio oppido incassum obfesso nil
 nisi Femeram Holsatiæ Insulam nuper
Annal. Boic. occupatam, necnon cis Albin Staden-
p. 3. l. 13. nam urbem possideret, nihilominus fœ-
 deratorum suppetiis auctus bellicos ter-
 ra marique apparatus denuo adorna-
 bat: quocirca Ferdinandus Cæsar, ut
 impendentem præveniret tempestatem,
 victricia sua arma per Oceanum in re-
 fiduas Danici Regis Insulas convertere
 statuit: deerat autem sufficiens navi-
 giorum numerus; quocirca per Lega-
 tos suos indicto Lubecensi conventu
 cum Anseaticis urbibus novam com-
 mercii societatem fœdusque insti-
 tuere, hacque ratione navigia contra
 Danos impetrare satagebat, irrito pla-
 ne successu; prævalente enim proprii
 commodi ratione, ac Religionis odio,
 harum urbium Magistratus Cæsareis
 Legatis, ac præcipue Schwartzenbergio
 Comiti declararunt, quod in nau-
 ticam cum Hispanis societatem, expe-
 ditionemque consentire prohiberentur,
 eoquod Regibus, qui per mare poten-
 tia valerent, sese opponendo impares
 essent, ac propterea Danico bello im-
 plicari vererentur. Inde vero Daniæ
 Rex animosior factus, Stadæ urbi,
 quam Tillius victricibus suis armis Fri-
 sianam

fiam Orientalem emensus, jam sexto Sæc. XVII.
 Mense obsederat, opem ferre festina- A.C. 1628.
 bat: Verum a Cæsareis repulsus, Gluch-
 stadium contendit: interea vero Tillius
 expugnata arce Vertena, die decima
 nona Maij Stadenam urbem deditio-
 cepit, promotisque castris Gluchsta-
 dium inaususto conatu obsedit, Crem-
 penam vero urbem honestis conditioni-
 bus deditam Cæsaris imperio subjecit:
 Wallensteinius quoque Fridlandiæ Dux
 summa ope in id bellum incumbibat,
 ac Rostochio & Wismaria Dano Regi
 ereptis occupataque Ruggia Insula Stral-
 fundam potentissimam Pomeraniæ ur-
 bem ac Baltici maris ostium infestare
 constituit, eo quod cives propugnacu-
 lum a Cæsareis in Insula Ruggia ex-
 fructum expugnarint, & Ferdinandi
 copiis tam transeundi, quam hyber-
 nandi facultatem denegassent: Die igi-
 tur vigesima sexta Maij quantas potuit,
 copias urbi admovit, cunctosque via-
 rum aditus obsedit, adductisque belli
 tormentis urbem toto impetu verberare
 cæpit. Implorabant obsessi Civitatum
 maritimarum opem, quæ etiam con-
 ventu Lubecæ habito, necnon advoca-
 tis Brandenburgici Electoris, ac Boge-
 filai Ducis Pomerani Legatis cum Wal-
 lensteinio de pacis conditionibus ege-
 runt: Verum in irritum cecidit horum

Sæc. XVII. conatus, partim quod hæc leges obseffis nimium duræ viderentur, partim quod a Sueciæ Rege submissa non modo ingenti pulveris pyrii copia, sed etiam amplissima validi auxilii pollicitatione ad tuendam sectæ libertatem obfirmati essent. Desperata igitur pace Fridlandus per plures dies non sine mutua clade obsidionem urgebat, utque extremum urbis excidium præverteret, mitiores pacis leges obseffis, incassum tamen, obtulit: unde aucto obsidionis ardore Cæsarei tam prope urbi instabant, ut cives extremis angustiis pressi Legatum Pragam ad Cæsarem decernerent, qui urbem contra fas ad incitatas redigi quereretur: Mox igitur Ferdinandus pro ea, qua erat, pietate Wallensteinio in mandatis dedit, ut obsidione soluta, urbem in Cæsaris fide & obsequio potius per clementiam quam armatam vim conservare satageret. Hic autem neglecto Cæsaris mandato obsidionem majoribus adhuc urgebat viribus, hæc in verba (ut fertur) prorumpens: *Si Stralsunda ferreis cælo alligata esset clatris, nequaquam tamen meis resistet viribus,* cum vero rejectis, quas denuo Pomeraniæ Dux offerebat, pacis conditionibus, obseffi a Sueciæ Rege militum suppetias obtinuissent, ac Daniæ Rex, quantumvis Wolgastæ a Cæsareis

fareis ingenti clade prostritus esset, nihilominus oclusa Rugia insula per mare excubaret, hinc Wallensteinius haud temere veritus, ne obsessi terra marique validissimis viribus aucti in castra ipsa irruerent, die vigesima quinta Julii vasa colligere, ac desideratis suorum multis millibus obsidionem solvere constituit, Dani interea Glückstadio erumpentes Cæsareorum castra incenderunt, captis quamplurimis, trucidatisque non paucis.

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

§ II.

*Literæ Gratulatoriæ Urbani VIII.
Pontificis ad Maximilianum Electorem ob occupatam Stadenam urbem.*

Ex capta Stadena Bremensis Ducatus urbe tam comunis, tamque infolita Catholicorum lætitia oriebatur, ut jubilo Romam usque effuso Urbanus VIII. Papa suum quoque gaudium datis ad Maximilianum Bavarie Electorem literis testaretur hæc in verba: *Dilecte Fili, Nobilis Vir, Salutem & Apostolicam benedictionem. Jam fere poterunt Scriptores ætatem hanc vestris victoriis melius quam annis distinguere. Nos certe Germanica castra appellare jam possumus Gloriam campum, ex quo uberem con-*

*Adlzreit. O
Anual. Boic.*

l. 6. 1628. 9

Histor. Boic.

l. 1. 1628. 9

l. 1. 1628. 9

l. 1. 1628. 9

l. 1. 1628. 9

l. 1. 1628. 9

l. 1. 1628. 9

l. 1. 1628. 9

l. 1. 1628. 9

A 31

sola-

Sæc. XVII. solationis messem sæpe colligimus: iis animi
 A. C. 1628. nostri gaudiis prosequi solemus crebros Ba-
 varici Ducis triumphos. Nunc plaudimus
 Nobilitatis tuæ Virtuti in Stadenſi oppido
 Triumphanti, Deumque intimo affectu ro-
 gamus, ut frequenti caeleſtis gratiæ rore
 fecundet tot militaris gloriæ tuæ Palmas,
 tibiſque benedictionem peramanter imperti-
 mur. Datum Romæ apud ſanctam Ma-
 riam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die
 vigefima ſexta Junii anno milleſimo ſexcen-
 teſimo vigefimo octavo: Pontificatus noſtræ
 quinto.

§. III.

*Superior Palatinatus Maximiliano Ba-
 varicæ Electori ex patre
 traditus.*

*Carafa
 Germ. reſt.
 p. 339. Et
 345.
 Piaſeccius
 Hiſt. p. 339.
 Le Blanc.
 Hiſt. de Bav.
 tom. 4.*

Hucusque Austriam Superiorem Ma-
 ximilianus Bavaricæ Elector pigno-
 ris nomine poſſederat, pro compenſan-
 dis belli expenſis, quæ ad tredecim flo-
 renorum myriades computabantur:
 cum autem Austrii Anſſini minus in
 Bavaros propenſi ad Cæſarem priſtinum
 Dominum ſuum redeundi deſiderio fla-
 grarent, ac propterea ſexcenta floreno-
 rum millia pro reluenda ditione Au-
 ſtriaca ultro offerrent, hinc Cæſar
 Trautmanſtorffium Comitem Mona-
 chium ablegabat, ut apud Bavaricæ
 Electo-

Electorem Austriæ cessionem urgeret, Sæc. XVII.
 vicissim vero Palatinum Superiorem A. C. 1628.
 ob perduellionis crimen ad Cæsaris di-
 spositionem devolutum, unacum qua-
 tuor Palatinus inferioris Præfecturis,
 quæ cis Rhenum in regione Germanici
 littoris erant, offerret: Enimvero hac
 commutatione futura videbatur Maxi-
 miliani conditio deterior, tum quod
 Palatinus ditio Austriaca minus ef-
 fet opulentus, tum quod illius possessio
 Friderico adhucdum jus in armis quæ-
 rente minus certa foret: nihilominus
 die vigesima secunda Februarii re ultro
 citroque agitata tandem conventum
 est, ut Palatinus Superior unacum
 Electorali dignitate Maximiliano ejus-
 que hæredibus etiam Agnatis perpetuo
 jure cederetur; ita tamen, ut Cæsar,
 si Palatinum restitui contingeret, per
 quatuordecim omnino annos de recu-
 peranda Austria Superiore caveret, ac
 propterea per aliquot annos Austriæ
 Proceres Maximiliano adhuc præstiti an-
 tea juramenti fide obstricti manerent.

§. IV.

*Varii motus ac tumultus contra
 Cæsarem.*

Postquam Ferdinandus Cæsar debel- Lotich. rer.
 latis omnibus Imperii hostibus vi- Germ. l. 21.
 cibus Austria cap. 2.

A 5

Sæc. XVII. Circa sua arma usque ad Balti-
 A. C. 1628. cum mare extenderat, consueto hu-
 manæ prosperitatis vitio quosdam in-
 vidia & æmulatio, alios ac præcipue
 Protestantes evertendæ suæ sectæ, vel
 potius amittendi spoliis Sacri timor eo
 usque incitabat, ut pace nondum coa-
 lescente jamjam novos excitarent ho-
 stes, qui in Cæsaris, Catholicorumque
 excidium arma pararent. Hos inter
 haud postremus erat Gustavus Adol-
 phus Suecorum Rex, cui aliunde ad
 bella prono Stralsundæ obsidio in scio
 imo & invito Cæsare suscepta specio-
 sum offerebat obtentum, quo pellectus
 anno sequenti universam Germaniam,
 in quam jam pridem a Protestantibus
 Cæsaris hostibus sollicitabatur, novis
 belli flammis pene absumeret: Auge-
 batur invidia in Cæsarem intempestiva
 liberalitate, qua Albertum Wallenstei-
 nium, non ita pridem in Fridlandiæ
 Ducem nominatum hoc anno Megapo-
 litano Ducatu necnon Sagani Princi-
 patu in Silesia auxerat, eoquod hic in-
 gentes pro Ferdinando sumptus ære suo
 fecisset: clientelis vero suis Cæsar Joan-
 nem Albertum & Adolphum Frideri-
 cum Duces Megapolitanos exuit, eo-
 quod Dano hostium fœderatorum Duci
 insuperhabitis dehortationibus opem
 tulissent, militumque Cæsareum variis
 modis

Bougeant
Bell. tricen.
tom. I. l. 2.
pag. 1.
Fürstlich.
Meckl. Apo-
log. anno
1630.
Kaiserl. Ma-
nifest. contra
Duces 1629.
Vien. edit.
Brachel.
Hist. l. 3.
pag. 132.

modis divexassent. Inde vero haud *Sæc. XVII.*
 leves exorti tumultus apud Megapo- *A. C. 1628.*
 litanos, qui Fridlando sacramentum
 dicere, belli in Cæsarem suscepti Au-
 thores tradere, necnon Ecclesiarum pos-
 sessiones restituere Præfectosque a Cæ-
 sare alienos ab officiis amovere iussi,
 hanc immutationem primo deprecaban-
 tur, tandem vero potius mali gravio-
 ris formidine, quam prona obsequendi
 voluntate sese Fridlando clientelari sa-
 cramento obstrixerunt, Megapolitanis
 Ducibus edita apologia jus suum stre-
 nue adhucdum propugnantibus.

Insuper querelæ, quas contra Frid- *Lotich. l. c.*
 landi copias, earumque militarem li- *c. 2. lib. 23.*
 centiam aliaque belli tam diuturni in-
 commoda Principes in Mülhusano Con-
 ventu exposuerant, aliis tam æquæ,
 validæque videbantur, ut passim Ba-
 varo-Cæsareis copiis transeundi, hi-
 bernandi vel in eorum urbibus stativa
 habendi jus denegarent: Ea temeritate
 Brunsvicensis Magistratus Tillium cum
 quatuor Equitum turmis repulerat:
 cum vero hic minis, ac intercepta mer-
 cium, aliarumque rerum opportunitate,
 quod monitis haud poterat, armorum
 violentia extorquere niteretur, Magi-
 stratus missis delegatis securam com-
 mercii licentiam a Tillio efflagitabant;
 interim vero haud expectato Delegato-
 rum

Sæc. XVII. rum successu cives seditionem parare,
 A. C. 1628. ad arma conclamare, & incassum re-
 clamante Senatu pro sua, ut dicebant,
 libertate adversus Cæsarem, Tillium-
 que decertare: Haud parum ea res a
 bello abfuisse, nisi pacis arbitri a Til-
 lio moderatam stativorum redemptio-
 nem impetrassent.

Adlxr. An- Denique decantata conscientiae li-
nal. Boic. bertas, qua ad seditiones in legitimos
part. 3. l. 13. suos Magistratus concitandas nil poten-
Theatr. Eu- tius validiusque habent Protestantes ().*
rop. p. 1079. Regino - Gradecenses rusticos eo adeg-
 git, ut a suis Præconibus stimulati Sen-
 natum Costliciensem ferro & igne de-
 lere statuerent, atque adversus Terz-
 kyum & Liechtensteinium Dominos
 suos necnon in Cæsaris Deputatos ac
 Præfectos inveci, quosdam male mul-
 ctarent, alios infidiis præventos ad
 necem destinarent, eo usi obtentu,
 ut suam sectam propugnaturi a Cæ-
 saris lege, qua ad fidem Catholi-
 cam, ipsis sola pertinacia molestam, re-
 verti jubebantur, sese eximerent: Cre-
 verat ipsa criminis impunitate tanto-
 pere horum rebellium temeritas, ut
 Cæsa-

Brachel. hist.
l. 3. p. 138.
Carafa Com.
de Germ.
p. 340.

(*) Sic ad honestandas omnes seditiones,
 bella, bonorum usurpationes &c. semper con-
 scientiam seu tuendæ vel amplificandæ Reli-
 gionis jus necessitatemque obtenderunt.

Cæsaris Aulæ, quæ tum Pragæ agebat, necnon Imperiali Senatui extremam vim intentare præsumerent, ac nonnullas Procerum Toparchias infestarent, Præfectis, si qui obstiterant, male mulctatis: Hoc seditionis successu animati ad tantam excitabantur audaciam, ut ductore quodam Nobili in sacratum Cæsaris caput, vitamque infidias struerent, illumque venationi intentum opprimere, eumque unacum Aula sua ad laqueum damnare decernerent. Abominando hoc consilio feliciter detecto conjurationis ac parricidii Auctor in Hungariam, atque inde ad Turcas profugit, ceteros vero hujus tumultus socios Wallensteinus in Bohemiam eo sine evocatus dissipavit, ac trucidatis horum rebellium quingentis præcipuos perduellionis Authores in vincula conjici jussit, qui tormentis adacti cruenta conjurationis consilia confessi sunt, meritasque perfidiae poenas dederunt. Hujus tamen criminis atrocitas tantum horrorem Sectariorum non paucis ingessit, ut illam sectam, quæ ad sui propagationem subditis adeo sanguinaria in Principes suos consilia inspirat, falsam esse persuasi, ad fidem Catholicam reverterentur: Iterata autem hæc conspiratio, Cæsarem plene convictum reddidit de summa

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

Sæc. XVII. ma necessitate e suis ditionibus elimi-
 A. C. 1628. nandi illam sectam, qua vigente nec
 Regnis publica tranquillitas, nec Prin-
 cipibus vitæ securitas facta foret.

§. V.

*Pacis negotiatio Cæsarem inter &
 Danum Regem.*

Lotich. rer. Interim Ferdinandus Imperator glorio-
Germ. l. 22. sis victoriis suis adeo non intumesce-
cap. 2. bat, ut eo tempore, quo armorum vi-
Adlzreit. ctricium potentia hostes suos contere-
annal. Boic. valuisset, per indicta toties comitia,
part. 3. l. 13. legationes, ac Electorum conventus
Brachel. pacem revocare, bellicque calamitati-
Hist. l. 3. bus finem imponere, totis viribus nite-
Siruv. Corp. retur: Eam ob rem per Joannem Rei-
Hist. period. chardum a Metternich secretioris con-
10. Sect. 9. sultii Præsidentem de omnibus in nupero
p. 1259. Mülhusano Conventu decretis exacte
 edoceri voluit, petiitque, ut sibi Ele-
 ctor Moguntinus circa res Danicas, Pa-
 latini causam, bonorum Ecclesiastico-
 rum restitutionem, ac Imperii quietem,
 mentem suam aperiret: Igitur ad hu-
 jus Electoris sententiam, necnon ad
 Bavaricæ & Saxonicæ Electorum preces
 Ferdinandus, ne paci remoram posuif-
 se videretur, plusquam decem amato-
 rum millia exauctoravit, eoquod Im-
 perii Principes se militaribus exactio-
 nibus,

nibus, stativis, hibernis, crebrisque Sæc. XVII.
 pecuniarum extorsionibus ultra modum A. C. 1628.
 gravari, identidem quererentur: Ve-
 rum immutato licet militum numero,
 nondum tamen Principum expostulatio-
 nes cessabant, nec amplior reddendæ
 pacis spes affulgebat, quinimo exar-
 mato Cæsare hostes, ad quos turma-
 tim milites Sacramento soluti confluxe-
 rant, suos exercitus auxere, ac Sue-
 ciæ in Cæsarem expeditionis funda-
 menta jecerunt. Interim Daniæ Regis
 Consilarii per Holsatiæ Ducem de pro-
 no Cæsaris ad pacem animo edocti,
 datis literis veterem inter Romanum
 Imperium & Daniæ Regem amicitiam
 firma pace restitui, locumque & tem-
 pus hanc in rem designari petierunt:
 Postquam igitur Ferdinandus suos Le-
 gatos Lubecam pro pacis negotio de-
 creverat, ipse etiam Daniæ Rex in-
 fausto belli successu, nec non fulmine
 territus, quod Aulam Hafniæ accen-
 derat, de pace cum Cæsare serio actu-
 rus, Oratores suos eo præmiserat: Rex
 quoque Sueciæ suos delegatos ad hanc
 pacificationem destinaverat, qui Sueci-
 cum militem Stralsunda abducendum
 promitterent, si ex utroque Circulo
 Saxonico copix educerentur Cæsa-
 reæ, & Megapolitani Duces, quos Gu-
 stavus in suam fidem recepit, in pri-
 stinum

Sæc. XVII. A. C. 1628 finum statum reponerentur: Ast Joanne Salvio literis Suecicorum Oratorum adventum sollicitante, Wallensteinius reclamantibus licet ceteris Cæsareis Oratoribus, inconsulta prorsus arrogancia respondit, nullum se a Cæsare cum Sueco Rege tractandi mandatum habere, neque quempiam sine ipsius jussu admitti posse: si quid tamen ad pacem promovendam adducere vellent, id ad Cæsarem deferrent, absdubio benevoluntium ab eo responsum relaturi: id tamen instigantibus Danis factum fuisse dicitur. Verum hanc repulsam Sueciæ Rex postea inter causas illati in Germaniam belli recensebat, de oblata Protestantium in Germania causæ sese immiscendi occasione gavifus, quamvis hoc anno utpote bello adhuc Polonico dissentus vindictam distulerit. Tandem vero exeunte hoc anno pax Cæsarem inter & Daniæ Regem Lubecæ ita sancita est, ut mutilato Regno Daniæ Regi jus in Stormariam, Holsatiam, Jutiam, Slesvicum & Dithmarsium cederet, bellique sumptibus mutua compensatione remissis deinceps Rex Imperii & Ecclesiarum rebus nullo pacto sese ingereret. Ast jam tum de firmitate hujus pacis dubitatum, atque ideo utraque pars in omnem eventum arma, copiasque paratas tenebat,

bat, Cæsar quoque pro pecuniis in belli sumptus impetrandis comitia in Silesia & Moravia habebat, in quibus etiam Moraviæ leges præfertim Religioni, ac libertati Ecclesiasticæ adversas emendavit, hæreticosque, nisi Catholicam fidem amplecterentur, intra semestrem emigrare, & intra alios sex Menses bona sua divendere jussit: postea ad Maij finem Conventum in urbe Zenoima habendum indixit, ut præter plura alia Moravi juramentum fidelitatis novo Hungariæ Regi exsolverent; in prævio autem conventu Brunæ habito decretum, ut Baro Bioscus hæreticus ac rebellium Princeps capite plecteretur, eoquod præter perduellionis crimen aliaque facinora Decanum Sarcandrum acerbissimis cruciatibus in rebellionis principio interemisset.

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

§. VI.

*Præambula ad Reformationis edictum
a Ferdinando Cæsare promulgandum.*

Quamprimum sectis ex orco evocatis fidei unitas in Germania fuerat dissoluta, mox inter Ordines, populosque veteris Germanæ amicitiae nexus intercisus est; successit pro consilio temeritas, pro fide fiduciaque mentium

*Lotich. rer.
Germ. l. 24.
c. 2. p. 613.
Brachel, l. 6.
Adlzreit.
Annal. Boic.
part. 3. l. 13.
Theatr. Bu-
rop p. 1080.
tom. 1.*

Sæc. XVII. tium averſio, pro mutuis inter ſe au-
 A. C. 1628 xiliis adverſa ſœdera, pro comitatu
 diſperſio, pro pace & concordia, iræ,
 odia, diſſenſiones, jurgia, ſeditiones
 & bella, ac denique horum omnium
 pedifequæ calamitates. Non alio quam
 violentæ uſurpationis jure pulſi loco
 & avita poſſeſſione Catholici: injectæ
 manus ſacrilegæ in Chriſti ſacraria,
 profanatæ, direptæque Eccleſiæ, Epi-
 ſcopatus, Abbatix, Collegia, Mona-
 ſteria, ac integræ ditiones ejeçtis Sa-
 cerdotibus, ſacrisque Viris ac Virgini-
 bus, in profanos uſus converſæ: Hi
 erant purioris Evangelii fructus, ac
 prætenſæ reformationis ſtipendia. E-
 nimvero Carolus V. Cæſar utpote Ec-
 cleſiæ Catholicæ Advocatus literis,
 colloquiis & comitiis concordiam re-
 vocare, malisque remedium opponere
 tentabat: prævaluit tamen Novatorum
 potentia, & armatus ſuperſtitioſam no-
 vitationem tuendi fanatiſmus: Igitur Im-
 perator vi, metuque coactus, ac gravi
 bello preſſus, Paſſavienſi tranſactione,
 ac triennio poſt pace Religioſa in Au-
 guſtanis comitiis confirmata Proteſtan-
 tibus, ea quæ eo uſque per iniquam
 vim abriperant, reliquit, vetuit au-
 tem, ne id facerent deinceps: Verum
 ab illis, qui ſemel fidem Deo, ac Ec-
 cleſiæ per Baptiſmale pactum datam
 violare

violare non dubitarunt, expectari haud poterat, ipsos humana pacta, mutuo licet consensu ac sacramento firmata, servaturos. Nec tamen eis deerant perfidiae suae obtentus: Dolebant insuperhabita repugnantia ab omnibus Protestantibus acceptatum fuisse articulum IV., quem *reservatum Ecclesiasticum* dicunt, quo cavebatur, ut si quis Ecclesiasticus a Religione Catholica desciscat, ipso facto suis beneficiis ac proventibus sit privatus, & Augustanae confessioni ad dicti Catholicos Imperii Ordines, *hosque Ecclesiasticos in sua Religione, caeremoniis & possessionibus pacifice relinquunt, nec non suspensa etiam in Confessionistas jurisdictione, Ecclesiasticorum tamen & monasteriorum redditibus nihil praedicti afferatur, sed eorum bona, etsi intra Statuum territoria essent constituta, reservata tamen Catholicis sint.* Quantumvis Confessionistae integro triennio frivolis ex causis contra reclamarint, nihilominus tandem, nemine obsistente, hic articulus inter pacis Religiosae capita relatus, promulgatusque est, nihilque in eo immutatum, sed utrinque juramento firmatum: unde omnes Caesares ab eo tempore in suis electionibus per capitulationes ad hanc pacem se obstrinxerunt, nec unquam ad hujus

Saec. XVII.
A. C. 1628.

S. vicissim &
S. atque ut
utrique
S. quia

Kevenh. An-
nal. Ferd. II.
t. 10. p. 1481.

Hist. Eccles. Tom. LIX.

B arti-

Sæc. XVII. A. C. 1628 articuli abrogationem adduci potuerunt, quam, cum Protestantes via legitima obtinere haud possent, proprio arbitrio violarunt, ac post pacem Religiosam duos Archiepiscopatus, duodecim Episcopatus, & pene innumera Monasteria, ac beneficia usurparunt, Catholicosque Possessores interdicto omni Religionis Catholicæ exercitio contra quartum pacis articulum vi ejecerunt. Graviore erant hæc, ac manifestius Paci Religiosæ adversantes oppressiones, quam ut eas Catholici Electores, Imperii Status, Episcopi, alique Ecclesiastici decussatis velut ulnis ferre possent: quocirca iteratis querelis ac placentibus Cæsares, præcipue vero Ferdinandum II. in Conventu Mulhusano urgebant, ut bona Ecclesiastica contra Transactionem Passaviensem & Pacem Religiosam Catholicis adempta antiquis possessoribus restitui præciperet: Cum ergo Ferdinandus Imperator jam anno hujus sæculi decimo nono die vigesima octava Augusti coram Collegio Principum Electorum Francofordiæ, interposita sacramenti Religione pollicitus esset, quod tanquam Ecclesiæ Catholicæ Advocatus *quicquid præterito tempore tam Ecclesiasticis quam profanis injuste & per vim ereptum fuerit, ejus restitutionem procurare velit, ac debeat,* hinc
ex

ex juramenti sui religione tenebatur, *Sæc. XVII.*
 saltem quantum ac quando posset, ho- *A. C. 1628.*
 rum restitutionem præcipere, atque
 urgere.

Ceterum, quantumvis hæc obliga-
 tio urgeret, nihilominus Ferdinandus
 II. post tot victorias A catholicis supe-
 rior (fatente etiam ipsomet Lotichio
 Lutherano) longe majorem quam Fri-
 dericus Palatinus in hoc reformationis
 „negotio moderationem adhibuit; tam-
 „etsi enim per sua Regna, ac hæredi-
 „tarias Provincias Augustanæ Confes-
 „sionis exercitium abrogaret, salva ta-
 „men transactione Passaviensi, hanc
 „conscientiarum libertatem per Impe-
 „rium permisit, immunitatemque Pro-
 „testantibus conservavit: econtrario
 „autem Palatinus ea usus est præcipi-
 „tantia, ut adhuc ante victoriam, re-
 „bus omnibus adhuc incertissimis, jam
 „tum animo triumphos somniantem, in
 „Regno alieno Pragæ reformationem
 „spiravit, dedicatasque Imagines, præ-
 „missa concione, e medio sustulit. „ No-
 „vum etiam moderationis specimen edi-
 „dit Cæsar, dum querentibus Franco-
 „niæ Equitibus, quod Herbipolensis
 „Episcopus ac Franconia Dux contra
 „Religionis pacem non modo sectæ, sed
 „& pervetustæ Equestri libertati præju-
 „dicaret, eidem Episcopo interdixit,

Sæc. XVII. ne ulterius prohiberet, quominus E-
 A. C. 1628. questres subditi a suis prædiis census
 ac reditus dependerent Equitibus.

§. VII.

*Particularis Edicti restitutorii execu-
 tio variis in Provinciis inchoata.*

Lotich. rer. Nondum quidem ob communis feditionis metum, Anglis, Suecis, Danis, Batavis & Helvetiis nova molientibus, matura videbatur edicti communis promulgatio; interim tamen illud in variis locis urgebatur, & quidem ineunte hoc anno in Silesia & Wartenbergæ *restitutorium*, ut vocant, Cæsaris edictum publicis valvis primum affigebatur, simulque Preinero Wratislaviensis Episcopi Legato dabatur negotium, ut idoneos designaret Viros, quibus Ecclesiæ a Sectariis usurpatæ restituerentur: cum vero Jägerndorffenses, Troppaviani, & Kofellenses hæretici pertinacius resisterent, impositis præliariis coercebantur: vicissim vero piensissimus Cæsar ad propagandam fidem Catholicam annue Bohemo Statui Ecclesiastico ex quolibet modio falis certam pecuniarum summam attribuit, die autem vigesima quarta Mensis Julii Zenoima, ubi comitiis intererat, literas ad Bohemiæ Præ-

Præfectos dederat, in quibus reforma-
tionis edictum negligi, violari, hære-
ticosque de sua conversione nullam con-
stantem spem facere questus, denuo
reformationem urgeri præcepit, ac die
vigesima Julii edito diplomate reiraçta-
rios citari iussit, eo fine, ut vel in fide
Catholica se institui patiantur, vel e
Regno intra sex dierum spatium emi-
grare jubeantur: de viduis autem sta-
tuit, ut quamdiu in hæresi permanse-
rint, tamdiu liberorum educatio, regi-
men, subditorum, & bonorum admini-
stratio eis subtrahatur, interim vero
earum bona per fidos homines admini-
strentur. *Liberi etiam in Catholica Reli-
gione educati, singuli pro illorum poscente
ætate tractentur, & habeantur. Si etiam
reperirentur viduæ, quæ non solum perti-
naces in sua hæresi manerent, sed ultra e-
tiam familiam, & alios voluntario modo a
Religione detinerent, tales ante elapsum ter-
minum ex provincia, aut si visum fuerit,
aliis pænis, quoties peccaverint, vel Cæsa-
ris mandato contradixerint, afficiantur.*

Quoad alias viduas, quæ se quiete, &
absque ullo scandalo continent, illæ eo dun-
taxat ex capite, quod intra determinatum
tempus Religionem acceptare noluerint, ex
provincia ante lapsum tempus discedere non
jubeantur, sed evoluta termino, de uno &
de altero decretum accipiant.

Sæc. XVII. Præterea statuit Imperator, ut in
 A. C. 1628 hæresi sua obstinati, qui pupillos secum
 abduxerunt, eos remittant, secus sua
 amissuri bona, quæ tutores ab Archi-
 episcopo constituti integra fide admi-
 nistrent, & pupillos in fide Catholica
 educari curent. Cum vero ad Rackens-
 burgenses ex Hungaria crebro Prædi-
 cantes venirent, hinc Cæsar illos, si
 sectæ suæ exercitio vacasse deprehensi
 fuerint, custodiæ dari iussit, sectarios-
 que libros inveni sub severissimis pœnis
 inhibuit. Demum ut privatum quo-
 que sectæ usum ex Bohemia, Austria,
 Carinthia, Stiria aliisque Provinciis suis
 eliminaret, Viennæ sequens promul-
 gari iussit edictum: *Posteaquam ab eje-
 ctione Præconum Lutheranorum, nihilomi-
 nus Dynastæ quidam, & eorundem ministri,
 abrogatæ illius Religionis exercitium priva-
 tum, intra arces, prædia, & molendina,
 concionando, legendo, cantillandoque resti-
 tuere, essent ausi, usque eo, ut etiam ad
 infantium Baptismata, Sinaxin, matri-
 monique copulas, progredi non dubitassent;
 hacque ratione ad Catholicam Ecclesiam re-
 vertendi institutum, ac negotium retardent,
 jam demum omnibus ac singulis id genus pri-
 vatis, simulatque usibus, atque exercitiis,
 missionem indicimus. Ut si quis contra hoc
 interdictum quicquam ejusmodi tentare dein-
 ceps præsumat, is pœnas det gravissimas.*
 Quo

Quo in genere, cum non sit obscurum per Sæc. XVII. libellos, ac scripta Protestantium multa A.C. 1628. caussari impedimenta, deinceps ratio iniretur, qua illa per inquisitorem, cujusque loci ordinarium, conquirantur, atque eliminantur.

Eadem legis feveritate mandavit Imperator, ut publicis officiis in superiore Austria vacantes vel suam hæresin ejurarent, vel ab officio discederent, opificum vero famuli in Bohemia, nisi fidem veram amplectantur, e Regno ejicerentur.

Præterea hoc anno in Silesia Templorum restitutio urgeri cæperat, non sine Protestantium tumultu; cum enim Gloggaviæ Cæsaris jussu quidam Centurio a Magistratu Ecclesiarum claves sibi tradi postularet, mox cives secta infecti, conjuratione facta turmatim accurrerunt, Temploque oppositis excubiis cinxerunt. Re autem comperta Donavius Baro nocte intempesta cum militari agmine in urbem irruit, ac de duobus hujus motus Authoribus supplicium sumpsit, civibusque metu pœnæ in ordinem redactis, Freistadium & Sprottaviam contendit, ibidemque Catholicæ fidei exercitium, ringentibus licet Novatoribus, reduxit: Grünbergenses vero, qui non ita pridem misere seducti, Lutheri placita adoptarant,

Sæc. XVII. Donaviano militi obviam procedentes
 A. C. 1628. ultro ad veram fidem reversi sunt:
 Ampliorem tamen Reformationis pro-
 gressum fistebat Saxonix Electoris ab
 Ordinibus interpellati deprecatio apud
 Cæsarem.

§. VIII.

*Cæsarei edicti executio Augustæ Vin-
delicorum inchoata.*

*Adtzr. An-
nal. Boic.
part. 3. l. 13.
Le Blanc.
Hist. de Bav.
tom. 4.
Carafa l. c.* Eodem hoc tempore Ferdinandus Im-
 perator in Vindelicis, locisque vi-
 cinis præcipue vero in agro Ulmenfi,
 ductore Wolfgango Comite Mansfeldio
 exercitum fere viginti millibus validum
 contraxerat; inde vero ob immodicas
 exactiones crebræ incolarum querelæ,
 ac Protestantium suspicio, metusque,
 ne Cæsar armata vi fidem Catholicam
 reducere, & Ecclesiasticorum bona ab
 Usurpatoribus vindicare intenderet:
 Suspicionem augebat falsus rumor de
 fœdere quod Marchio Durlacensis con-
 tra Cæsarem pro retinendis Ecclesia-
 rum spoliis cum Helvetiis, fœderatis-
 que Imperii civitatibus iniisse diceba-
 tur: Conjectabant alii, hunc Cæsaris
 exercitum vel ad Mantuanam expedi-
 tionem in Italia vel ad præpediendos
 motus in Hungaria aut Belgio destina-
 tum esse: Ita varius erat opinantium
 sen-

fensus: certum tamen est, quod hujus Sæc. XVII.
 exercitus præsentia ac robore Prote- A. C. 1628.
 stantes & præcipue Helvetii, qui ad
 infringendam Cæsarei edicti vim Ger-
 manis opem pollicebantur, deterriti
 fuerint, e contrario autem Catholicæ
 Imperii civitates a Protestantium vexa-
 tionibus securiores redderentur: rebus
 ita dispositis Imperator haud cunctan-
 ter Henrico de Knöringen Episcopo Au-
 gustano præcepit, ut Pagos sibi sub-
 jectos, necnon Nobiles Ecclesiæ refra-
 ctarios ad fidei obsequium revocare sa-
 tageret. Postea Leopoldo Austriæ Ar-
 chiduci, & Joanni Conrado de Gem-
 mingen Eichstadiano Episcopo refor-
 mationis negotium Augustæ urgendum
 commisit. Igitur die decima quinta
 Maji Vitus Baro de Rechberg, & Joan-
 nes Geslerus, quos Leopoldus subde-
 legabat, necnon Joannes Georgius de
 Leonrodt & Joannes Mezgerus Can-
 cellarius Episcopi Eichstadiensis Dele-
 gati in Urbis Prætorio Hieronymo de
 Imhof necnon Bernardo de Rhelinger
 Duumviris Religione Catholicis decla-
 rarunt, quod ipsi tandem innova-
 tionibus in Catholicorum præjudicium
 enatis remedium opponere a Cæsare
 jussi fuissent; proin præprimis sibi om-
 nia urbis officia, monasteria, fundatio-
 nes, Præcones, ludimagistros &c. ex-
 acte

Sæc. XVII. acte indicari peterent. Altera autem
A. C. 16. 8. die Weinhartus Doctor Urbis Augustanæ
 Deputatus in declarationis dilatæ
 excusationem proferebat, dubitatum
 fuisse, an æque Catholicarum ac Pro-
 testantium Ecclesiarum recensio fuerit
 exigita, intellecta autem Delegatorum
 mente hic idem die decima octava e-
 jusdem Mensis desideratam designatio-
 nem exhibuit. Postea Delegatis varia,
 quæ sibi tradi petierunt, pactorum di-
 plomata circa mutatam Religionis ac
 Regiminis normam porrigebantur. Al-
 tera die urbis Præfecti ac Senatores
 Augultani, qui Cæsaream hanc com-
 missionem ægre ferentes illam ex quo-
 rumdam Ecclesiasticorum obtrectatione
 ortam interpretabantur, ad septem
 hosce articulos respondere jussi sunt.
 I. Quo tempore, occasione ac modo Re-
 ligionis diversitas in urbem fuerit in-
 troducta? II. An Religionis immuta-
 tio, & Augustanæ Confessionis usus
 auctoritate & consensu Magistratus in-
 valuerit? III. An Urbs tanquam *Impe-*
rii Status huic Confessionis subscripserit?
 IV. Quænam inter Catholicos & Lu-
 theranos, illius temporis Cæsares sta-
 tuerint? V. Quænam pacta inter eos
 circa erepta & adhuc conservata Mona-
 steria, Ecclesias &c. fuerint erecta.
 VI. An antiquo jure Lutherani in Se-
 natu

natu unacum Catholicis ad officia electi fuerint, & quænam electionis norma? VII. Quæ inter utriusque Religionis cultores quoad pacem & unitatem statuta fuerint? Igitur ad *primam* quæstionem Duumviri responderunt, notorium esse, id circa Lutheri motus factum, ac anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo Augustanam Confessionem ibidem fuisse promulgatam, *ad secundam*, jam ante Religionis pacem via facti quamdam Religionis immutationem fuisse attentatam, *ad tertiam*, nullum desuper extare monumentum authenticum, *ad quartam*, id patere ex variis diplomatibus, præcipue Rudolphi & Ferdinandi Cæsarum, qui Senatui, civibusque Religiosam, profanamque pacem, se factam habituros polliciti sunt, *ad quintam & sextam* ex Caroli V. decreto constare, quod tum ex Duumviris unus fuerit Lutheranus, ejusdemque sectæ plures officiis publicis præfecti fuerint, subinde tamen Catholicorum etiam potior habita sit ratio, *ad postremam* denique, perpetuæ concordie medium fuisse utriusque Religionis Exercitium.

Quoniam vero Cæsareis Delegatis hæ responsiones minus distinctæ videbantur, hinc die vigesima quarta Maij petierunt, ut perspicue ac diserte I. respon-

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

Sæc. XVII. sponderent, quò tempore Augustana
A. C. 1628. Confessio inter cives publice Augustæ
 introducta ac prædicata fuerit? II. An
 Urbs & Senatus huic Confessioni sub-
 scripserit. III. An in officiorum distri-
 butione Catholicos inter & Lutherana-
 nos æqualitas fervetur. IV. Utrum
 ex Catholicis desint, qui publicis offi-
 ciis præsent; constet enim, quod Lu-
 therani fuerint admoti, cum tamen
 juxta Caroli V. decretum Catholicis es-
 sent præferendi. V. An Catholicam
 Religionem amplectentes defendantur.
 VI. An per pacta Ecclesiarum, redi-
 tum & Monasteriorum a Lutheranis
 possessorum restitutio fuerit sublata.
 VII. An a Cæsare præcepta restitutio
 facta sit. VIII. An semper observata
 fuerit Cæsarea lex circa Religionem,
 baptismum, & Matrimonia &c. IX.
 Utrum Catholicorum scholis inspecto-
 res fuerint destinati. X. An Ecclesia-
 rum Curatores sint Religione Catho-
 lici, suoque munere debite fungantur.
 Ad hæc decem puncta Senatores re-
 sponderunt, & quidem primo: de ini-
 tio acceptatæ Confessionis Augustanæ
 nil scriptum inveniri præter hæc verba:
*Anno hujus sæculi vigesimo primo juxta
 morem mutatæ Religionis verbi Dei prædi-
 cationi juxta verba ibi contenta factum est
 initium.* II. De hac subscriptione nihil

constare, Goldastum tamen testari, quod Sec. XVII.
 Augustana Urbs ad porrigendam Con- A. C. 1628.
 fessionem non concurrerit, sed eam
 primum anno hujus sæculi trigesimo
 quinto amplexa sit. III. Æqualitatem
 non fuisse servatam, Catholicis numero
 superioribus: certum autem & mode-
 ratum æquilibrium inniti Religiosæ pa-
 ci, aliisque pactis. IV. Etiam Luthe-
 ranos fuisse publicis officiis adhibitos,
 eoquod Carolus Cæsar præter Catho-
 licos etiam Lutheranos ab initio admi-
 sisset. V. Catholicis omne patrocini-
 um semper fuisse impensum. VI. Nec ra-
 tione pactorum, nec pacis Religiosæ
 Senatam ad restitutionem obstringi.
 VII. Determinationem in pactis refer-
 vatam jam plenarie per Religionis pa-
 cem fuisse adimpletam, eoquod quili-
 bet in pacifica possessione & præscri-
 ptione fuerit conservatus. VIII. Non
 modo Cæsaream legem semper fuisse
 observatam, sed etiam auctoritate pu-
 blica quosdam Prædicantes Flaccianis-
 mo adhærentes fuisse exauctoratos, ba-
 ptismi vero & Matrimonii administra-
 tionem in domibus nunquam fuisse
 permissam, nec alios præter Catholi-
 cos & Lutheranos libros tolerari. IX.
 Catholicorum Scholis quatuor inspe-
 ctos Catholicos, & typographiæ duos,
 totidemque Catholicos Bibliothecæ esse
 præ-

Sæc. XVII. præfectos. X. Vi pacti de anno Christi
A. C. 1628. millesimo quingentesimo octogesimo
 quarto Ecclesiarum Curatores esse Lutheranos, hos tamen Catholicis Fundationum Curatoribus rationem annue reddere esse obstrictos.

Die autem secunda Junii Duumviris Cæsarei Delegati reliquos tradidere articulos I. circa Prædicantes II. circa Regimen Ecclesiasticum & III. Politicum. Igitur Prædicantes die quarta Junii respondere jussi sunt. I. An in suis ritibus & doctrinis a Confessione Augustana non recedant. II. An duntaxat in articulis in ea contentis sese a Catholicis separent, in ceteris autem Catholicis consentiant. III. An formulæ concordiæ subscripserint, vel saltem eam tanquam Augustanæ Confessioni consonam teneant, illamque in suis Concionibus tradant. Ad primam quæstionem sequenti die responderunt Prædicantes, affirmando, quoad ritus tamen, tanquam res adiophoras non esse uniformitatem fassi sunt, ad secundam declararunt, quod non in omnibus articulis in Confessione contentis se a Catholicis separent, utpote inter eos non controversis, de cetero autem non modo circa controversos articulos in Confessione expressos, sed & circa omnes articulos sacre Scripturæ
 non

*Ex Archiv.
 Abbat. ad
 & Crucem
 Lit. C.*

non confonos sese a Catholicis separent, Sæc. XVII.
 ad tertiam, quod anno hujus sæculi A. C. 1628.
 octogesimo Prædicantes Augustani formulæ concordie subscripserint; ac etiamnum illam pro publico libro Symbolico habeant.

Minus sincera videbatur horum Prædicantium declaratio circa Confessionem Augustanam, utpote quæ testantibus, Selneccero, Chytræo & Musculo plusquam duodecies fuit immutata, imo etiam Wittenbergenfes Theologi (*) fateantur, quod hujus Confessionis exemplar primo typis editum non consentiat Augustanæ Confessionis authographo. Magis subdolan credebant Delegati Prædicantium responfionem ad quæstionem secundam, ubi professi sunt, se a Catholicis non modo in articulis in Confessione Augustana contentis, sed etiam in aliis sacræ Paginæ contrariis a Catholicis discrepare, cum ergo, quinam hi sint articuli, non expresserint, hinc suspicabantur Delegati, ne forte Prædicantes sub generali hac clausula alias sectas per Religionis pacem prohibitas in Imperium invehere tentarint; notum enim erat, quod in pluribus a Confessione Augustana sensim recesserint, docuerintque, quod

Cor-

(*) In Colloquio Altenburgenfi fol. 494.

Sæc. XVII. Corpus et Sanguis Christi in cœna non
 A.C. 1628. sub speciebus, sed unacum pane et vino
 præfens, ac primum in sumptione re-
 cipiatur, cum tamen Augustana Con-
 fessio (*) asserat, quod verum Corpus
 & Sanguis Christi sub speciebus panis
 & vini præfens sit in Cœna, & ibidem
 distribuatur ac sumatur. Præterea do-
 cuerint, Papam esse Antichristum, &
 Missam esse idololatriam, cum tamen
 in Confessione Augustana Papa vocetur
Pontifex Maximus, eique Concilium Oe-
 cumenicum convocandi potestas asse-
 ratur (**) imo & Confessionis Author
 Ecclesias Lutheranas falso accusari pro-
 fiteatur, quasi Missam abolerent. cum
 tamen ea apud eos retineatur, & sum-
 ma reverentia, imo adhuc majore,
 quam apud Catholicos celebretur (***)
 Insuper moderni Prædicantes tradide-
 rint, Ecclesiam Romanam esse Anti-
 christianam, quam tamen Augustana
 Confessio Catholicam, & in nullo ab
 ejus Articulis dissonam profiteatur. De-
 nique ab eis plura Confessioni non in-
 ferta, alia eidem omnino contraria
 fuerint populo tradita, Eapropter De-
 legati die octava Junii Prædicantibus
 in

(*) Art. 10. edit. Wirtemb. anno 1557.

(**) In Præfat.

(***) Art. 24. & art. 3. de abusibus.

injunxere, ut articulos in Confessione Sæc. XVII.
 non contentos, eis tamen non probatos A. C. 1628.
 diserte ac figillatim sine mora exponerent: Id sibi permolestum esse causabantur Prædicantes, eo quod pridie ad festa Pentecostes excipiendis confessionibus, concionibus, & communionibus nimium gravati essent, nihilominus declararunt. I. Quod ipsimet Protestantæ Electores haud obscure tam in Præfatione, quam in Epilogo his verbis: *recensuimus præcipuos articulos, qui videntur habere controversiam, quamquam de pluribus abusibus dici poterat, insinuarint, quod in omnibus articulis sacræ Paginæ dissonis sese a Catholicis separent.* II. Deum testem invocarunt, quod cum Calvinistis, aliisque Sectariis nullam partem vel consortium habeant. Verum nec hoc responso Delegatis satisfactum, quocirca die decima quarta Junii specialem enumerationem horum articulorum a Protestantibus petebant, hi tamen nil aliud responderunt, nisi quod sola enumeratione articulorum in Augustana Confessione non contentorum scopus a Deputatis intentus obtineri haud posset, cum v. g. sub articulo de Scriptura sacra, numero Sacramentorum &c. latere posset error Schwenckfeldii, Weigelii, Calvini &c. Præterea autem e-

Hist. Eccles. Tom. LIX. C jus-

Sæc. XVII. A. C. 1628. jusmodi articulorum specificatio non fit privatæ Ecclesiæ res, sed omnium Protestantium Principum, qui communi nomine Confessioni absque expressis hisce articulis subscribere, proin pusillis sibi Prædicantibus in causa communi, & de Confessione communi privatam opinionem suam articulatim promerere non competeret. Inde vero Deputati probe cognoscebant, quod hi Præcones duntaxat subterfugiis Cæsareum mandatum eludere, eosque a demando negotio divertere satagerent, hinc die vigesima prima Junii iterato hanc enumerationem fieri, eamque a singulis Prædicantibus seorsim chirographo suo muniri petierunt. Igitur inter arcta prehensi quarta post die præprimis ejusmodi specificationem esse oppido arduam exponebant, eo quod hucusque ea nunquam ab aliis Prædicantibus fuerit petita, cunctosque Protestantes Principes hac in re prævenire, ac ipsis inconsultis quicquam in communis fidei causa decidere non auderent, priusque omnes controversias cum Lutheri doctrina conferre deberent, nec ipsimet Catholici in aliquibus articulis v. g. de Immaculata Conceptione, Conciliis, Papæ potestate &c. (*) non concordarent, suas
autem

(*) An ex ignorantia vel malitia quæstio-

autem controversias non per privatos Sæc. XVII.
Ecclesiasticos, sed per Concilia defini- A. C. 1628.
rent (*), aliunde vero in Colloquio
Ratisbonensi Judicem controversiarum
designare, & traditiones non scriptas
recensere tergiversati essent: tandem
vero consultatione inter se habita hi
Præcones varios errores, quos a confes-
sionis articulis *per bonam consequentiam*
deduci dicebant, recensuerunt, pro-
fessi tamen, quod hi duntaxat *præcipui*
essent articuli, qui expresse in Confes-
sione non comprehensi fuerint, proin-
eis semper integrum adhuc esset, alias
doctrinas invehere, seu ut cum Me-
lanchtone loquar (**), *novam doctrinam*
excogitare, præcipue cum in eadem
Confessione *subinde* articulos mutandos,
atque ad occasiones accommodandos
esse,

C 2

nes hæc Theologicas *fidei* articulis inter Ca-
tholicos controversis accensuerint hi Prædi-
cantes, in dubio relinquimus.

(*) Mirum tamen est, quod a molesta ho-
rum Deputatorum inquisitione sese non expe-
diverint, respondendo, se semper a quarto
vel quinto sæculo, quo Romana Ecclesia facta
est Meretrix Babylonica, Evangelii puritati
adhæsisse.

(**) Tom. I. latin. in Præfat.

Sæc. XVII. esse, idemmet Confessionis faber testatus fuerit (*).

§. IX.

Inquisitio in Clericorum bona & Ecclesiarum Regimen Augustæ instituta.

Relat. de Statu Urb. Aug. Acta Evangel. civ. Exhibita Prædicantium declaratione Senatores ad duodecim dubia, & alia septem circa Ecclesiarum Regimen respondere jubebantur: Hi vero præmissis contra Ecclesiasticos questi sunt quod ipsorum gravamina hucusque Senatui non exposuerint, nunc vero non audita & inscia altera parte hanc Inquisitionem extorserint: quoniam vero post octoginta annorum possessionem de legitimo possessionis jure rationem reddere, altioris indaginis esset, hinc Ecclesiarum Administratores semestris terminum, quo elapso responsa ad propositas quæstiones proferrent, sibi concedi, iterato, incassum tamen, efflagitarunt. Igitur die quinta Junii ad quæstionem primam de Collegiata Ecclesia ad S. Mauritium responderunt, quod officinæ, aliaque ædificia huic Ecclesie annexa in civitatis territorio fuerint erecta, nullaque novatio post Religio

(*) Lib. 1. Epistol. Epist. 2.

ligiosam pacem attentata sit, dein circa cæmeterium, aliasque duas domus in territorio Ecclesiæ ad S. Stephanum ædificatas responderunt, hæc omnia ante pacem Religiosam fuisse facta. Cum autem insuper declarare juberentur, quo jure Lutherani in Catholica Ecclesia ad S. Georgium campanas pulsare, necnon quadringentos florenos pro alia campana exigere, ac prope Ecclesiam lavatoriam specum, scholas aliasque domos ædificare præsumpserint, necnon Hörvartensem foundationem sibi vendicarint, nequidem persolutis annuis censibus? ad hanc quæstionem responderunt, Prædicantis domum dictamque specum jam ante Passavien- sem transactionem fuisse Lutheranis assertam, ac in fundo Urbis ædificatam, campanam quoque jam ante ducentos annos a Parochianis fuisse solutam, Reicharto Præposito nonnisi decem florenos conferente: proin ab iisdem sine Canonicorum repugnantia fuisse pulsa- tam, hancque consuetudinem post im- mutatam Religionem fuisse continua- tam usque ad annum hujus sæculi un- decimum, quo Urbanus Præpositus quadringentos solvit florenos eo pacto, ne ulterius in ejus Ecclesia Parochiani pulsare valeant: de fundatione autem Hörvartensi nihil ipsis cognitum esset,

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

Sæc. XVII. ideo autem annum censum duorum
 A. C. 1628. florenorum non amplius fuisse solutum
 aiebant, eoquod Præpositus ædituo de-
 negarit habitaculum, pro quo antea
 hi census fuissent soluti. Cum au-
 tem Ecclesiarum Administratores Lu-
 therani docere juberentur, quo jure
 S. Othmari Sacellum, Prædicantis do-
 mum, cæmeterium, atrium, decimas
 minores, domusque ad Abbatiam S.
 Crucis spectantes sibi vendicarint, at-
 que ad profanos usus converterint, re-
 sponderunt, quod domus Prædicantis
 &c. a Senatu Curatoribus ante plures
 annos concessa fuerit, atque in cæme-
 terio Kolleriana familia sepulturam ha-
 buerit, & ibidem sepulturam unus ci-
 vis alteri vendere potuerit, necnon
 Magistratus expensis domus fuerit re-
 parata, sepulcra lapidibus strata, &
 Abbati claves ad portam majorem dun-
 taxat precario fuerint concessæ, ex his
 autem pateat, quod Magistratus non
 autem Abbas jus Domini habuerit, &
 Lutherani suis expensis jam ab anno
 1529. Ecclesiam S. Othmari possede-
 rint, & extruxerint. Anno 1548. Abbas
 quidem reclamavit, obsistentibus ta-
 men Ecclesiarum Curatoribus ipsemet
 Bernardus Abbas concesserit, ut in a-
 rea prope Ecclesiam S. Othmari porti-
 cum seu fornicem, sub qua sine pluvie
 mole-

molestia populus copiose concurrens Sæc. XVII.
 Conciones audire posset, ædificetur, & A. C. 1628.
 postea anno 1561. extendatur: cum er-
 go ante pacem Religiosam hæc bona
 Lutherani jam possederint, & pactum
 cum Abbate accesserit, hinc omnia hæc
 bona possessione legitima ad posteros
 transmissa seruentur. Pariter Ecclesiæ
 Imperialis ad S. Udalricum Curatores
 Lutherani responderunt, quod Prædi-
 catoria eorum domus, cæmeterium, a-
 liæque ædes anno 1458. ex communi
 Parochianorum ærario fuerint in Urbis
 fundo ædificatæ, & restauratæ, proin-
 diu ante & post transactionem Passa-
 viensem a Lutheranis possessæ, nec e-
 tiam unquam Rmus D. Abbas vel e-
 jus Monasterium in electione Curato-
 rum suffragium habuerit, vel Curato-
 res eidem rationem reddere obstricti
 fuissent.

Inter alios articulos Cæsarei Dele-
 gati præcipue de Carmelitarum Mona-
 sterio ad S. Annam (*) Bibliotheca, &
 C 4 redi-

(*) Hoc Monasterium unacum Ecclesia an-
 no 1321. partim Friderici Speth Episcopi Au-
 gustani, partim aliorum Benefactorum impen-
 sis fuit pro Carmelitis Augustæ erectum, quo-
 rum aliquibus etiam deficientibus alii ejusdem
 Ordinis substitui debuissent. *Hosliens. c. ex
 injun-*

Sæc. XVII. redivis, necnon de Fratrum Minorum
A. C. 1628. Cænobio ac Nosocomio ad S. Jacobum
 rationem reddi petebant: Igitur Fabri-
 cæ Curatores declararunt, quod ex
 hisce Carmelitis *quidam* circa annum
 hujus sæculi vigesimum sextum mutata
 Religione cænobium deseruerint, proin-
 ante pacem Passaviensem ad Luthera-
 næ sectæ Cultores hæc Ecclesia tran-
 sferit: de cetero autem hoc Monaste-
 rium, & Ecclesia ad S. Annam, cum a
 Fratribus ex Ordine Mendicantium fue-
 rit possessa, nullos redditus habuerit, sed
 Lutherani redditus Ecclesiæ ad S. Mau-
 ritium, quam Catholicis reliquissent, ad
 illam sanctæ Annæ transfulerint, reli-
 giosi autem nunquam restitutionem Mo-
 nasterii ad S. Annam petierint. Fate-
 bantur tamen, quod Provincialis Fra-
 trum Minorum Conventualium Pro-
 vincix Argentinæ anno hujus sæculi
 vigesimo septimo apud Cæsarem que-
 stus, suum Monasterium vi iniqua
 Fratribus ereptum repetierit, die
 autem

injuncto. n. 9. loca enim sacra ab hæreticis oc-
 cupata non desinunt esse religiosa *gloss. in c.*
Pastorali, quinimo dominia rerum etiam ab
 hostibus recuperata non publicantur nec præ-
 dæ capientium cedunt, sed redeunt jure possi-
 minii ad pristinos Dominos I. si captivus
 de capt. & possl.

autem trigesima Decembris declararent Lutherani, quod a Religiosis ante Passaviensem transactionem a fide Catholica deficientibus hoc Monasterium fuerit derelictum. & postea in Xenodochium conversum, per nonaginta annos hisce Religiosis non reclamantibus.

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

§. X.

*Septem Inquisitionis Cæsareæ articuli
circa Regimen Ecclesiasticum Augustanæ Urbis.*

Insuper Cæsaris Delegati circa Ecclesiarum administrationem septem proponebant quæstiones, & quidem primo, an Ecclesiarum Curatores anno prioris sæculi octogesimo quarto designati de sibi commissis bonis rationem, & quibus, reddere cogantur? II. Utrum & a quibus Prædicantes instituantur? III. Unde alantur, & qui reditus pro Catholicorum Scholis impendantur? IV. An & quinam attendant, ne Prædicantes ab Augustanæ Confessionis dogmate recedant? V. An præter toleratum numerum plures vel externi Prædicantes assumantur? VI. An festa in novo Calendario præscripta observentur. VII. An Præsules Catholici convitiis non profcendantur. Ad primam

Sæc. XVII. mam quæstionem responderunt Senato-
 res, in omnibus pacta & articulos circa
 A. C. 1628 vocationem Ministrorum de anno evol-
 uti sæculi octogesimo quarto, & quin-
 quagesimo primo exacte observari. II. Prædicantibus & utriusque Religionis Ludimagistris sua salaria ex ærario publico numerari. III. Plures quam quatuordecim Prædicantes, minus vero peregrinos admitti, Pestilentiarium tamen Prædicantem hucusque fuisse additum: Præcones quoque aliunde ejectos non quidem ut Prædicantes, sed ut cives recipi. IV. Novum Calendarium in usum deduci, Lutheranos quidem non omnes dies festos, quos Catholici, observare, in Curia tamen & foro ferias haberi, & si quis in festo utrique Religioni communi laborasse deprehenderetur, carceri daretur: de cetero Lutheranos feria tertia Paschatis & Pentecostes, necnon in festo Corporis Christi, SS. Udalrici, Magdalene, Afræ, Laurentii & Mariæ Assumptæ & Natæ, omnium Sanctorum, & Martini ab operibus servilibus non vacare, Senatam tamen, ejusdemque operarios in his diebus ferias agere. Denique severe prohiberi, ne e pulpito convitia in quoscunque spargantur. Ad articulos vero de regimine Politico responderunt Senatores, æqualitatem
 Catho-

Catholicos inter & Lutheranos juxta Sæc. XVII.
Cæsaris decreta fuisse servatam. A. C. 1628.

§. XI.

*Religionis negotium aliis in locis
promotum.*

Uberiori fructu Religio Catholica studio ac pietate Maximiliani Bavarie Ducis in Palatinatu Superiore revocata est, hoc anno ad Christi ovile quaterdecies mille ducentis quinquaginta octo reductis. Præprimis Ambergæ & Neoforii vicinisque locis omnis propemodum populus rejectis erroribus avitam veramque Evangelii doctrinam recepit, ipsis etiam pueris suos parentes, domesticosque ad ejurandum Calvinum adhortantibus, grandævorum quoque non paucis de reddita Avorum Religione lætantibus, palamque testantibus, quod fidem Catholicam animo suo semper impressam tenuerint, sectam licet exterius ob Prædicantium importunitatem professi fuissent. Reductis igitur Catholicæ fidei sacris Elector invalescentem blasphemandi consuetudinem, necnon polygamiam ex detorta Evangelii interpretatione a Calvinistis passim introductam severo edicto e tota Provincia eliminavit. Nec minore studio Catholica Religio

*Annal. Boic.
part. 3. l. 13.*

*Carafa
comm. de
Germ. rest.*

Sæc. XVII. A. C. 1628 ligio Heidelbergæ, Neostadii, Germersheimii aliisque inferioris Palatinatus oppidis promota est. Hagenoæ etiam integra civitas ad Ecclesiæ gremium rediit, & Spiræ restituta PP. Dominicanorum Ecclesia, civium potissimi sectam ejurarunt. Francofordienses quoque PP. Capuccinos, & Ratisbonenses Calendarium novum admisere, necnon cum Catholicis mitius agentes, publicas supplicationes tolerarunt. Argentinenfes vero Cæsarei edicti executionem distulerunt, ne tamen illud a petulanti plebe dilaceraretur, excubias addiderunt: soli Franckendalenses suæ hæresi immortui pertinaciam suam impositis magno numero præfidiariis luerre coacti sunt.

§. XII.

Georgius Zeæmannus Præco-Campidunensis in custodiam deductus.

Lotich. ver. Germ. l. 24. cap. 2. Arnold. hist. co. Hæres. p. 2. l. 17. c. 2. §. 8. Cum eodem ferme tempore Georgius Zeæmannus Campidunensis Præco, non modo Religionis Catholicæ dogmata, sed & summum Pontificem, Præsules ac Principes Catholicos convitiis, maledictis, & investivis per plures annos palam in suis seditiosis declamationibus scriptisque amarulentis proscidisse, suisque in libris Jesuitas pallium

passim spurcissimos sultas vocasse accusaretur, Ferdinandus Cæsar ponderata Principum ac Catholicorum querela Leopoldo Austriæ Archiduci in mandatis dederat, ut maledicum hunc Prædicantem a Senatu Campidunensi sibi tradi peteret: Archidux igitur jussis obtemperaturus, Wolfgangum de Rammersthal & Isaiam de Hohenkirchen ad Episcopatum Campidunensem ablegabat, eo sine, ut hi quibusdam e Senatu evocatis tam Cæsaribus, quam Archiducis literas Senatui inscriptas prælegerent; ac Zeæmannum sibi tradi peterent. Tum vero delecti Senatores, totius Senatus nomine, enixe rogabant, ut Zeæmannus, cujus maledicta inter officii sui partes reputabant, intra civitatem adhuc remanere permitteretur, sponcione facta, se curaturos, ne fuga elaberetur, eumque si criminis convictus esset, tradituros. Cum vero Delegati eorum pollicitationibus haud immerito diffiderent, tandem adhibitis etiam minis, ut eis Zeæmannum consignarent, impetrarunt, quem etiam versus Ehrenbergium Comitatus Tyrolensis propugnaculum abduci jussere: Re percepta Joannes Georgius Saxoniae Elector hujus Præconis patrocinium suscepit, datisque ad Leopoldum Archiducem literis eidem exposuit, hanc

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

Sæc. XVII. hanc severitatem erga Ecclesiasticum
 A. C. 1628. Protestantibus minime probatum iri;
proin rogare se, ut Zeæmannus liber-
 tati redditus, antequam sit damnan-
 dus, causam dicere ac pristino apud
 suos muneri vacare permetteretur, præ-
 cipue, cum ob cognitam hujus viri
 moderationem, pacisque studium de
 causæ suæ bonitate vix ambigendum
 esset. Hæc Elector in Zeæmanni favo-
 rem perscripserat, qui tamen, *an in per-
 sonalibus vel doctrinalibus deliquisset*, se
 ignorare fatebatur. Pro eodem pari-
 ter Dux Wirtenbergicus, Circuli sue-
 vici Ordines Protestantes unacum Præ-
 dicantis uxore & liberis tam importu-
 nis precibus Cæsarem fatigabant, ut
 hic anno hujus sæculi trigesimo il-
 lum sibi suisque restitui concederet,
 datis ad Leopoldum Austriæ Archidu-
 cem hisce literis: „tametsi hic Præco-
 „intuitu calumniarum ac blasphemia-
 „rum in Sanctos Dei, ipsamque anti-
 „quam Catholicam Ecclesiam nostram,
 „eructatarum, legibus omnino vetita-
 „rum, tum quod in Magnates, Præsu-
 „lesque, tam supremos, quam medios,
 „infimosque, tam linguam, quam sty-
 „lum acuisset, adeoque sicut acta, at-
 „que adversaria docent, continentia
 „terminos excessisset, ut graviore pœna
 „ob hanc enormem prævaricationem,
 „secun-

„secundum imperii constitutiones, di- Sæc. XVII.
 „gnus videretur, nihilominus ad tot, A. C. 1628.
 „tamque præcipuas, pro eo interve-
 „nientes, intercessionem, nobis eous-
 „que satisfieri passi sumus, ut illi libe-
 „ram missionem permittamus. Inte-
 „rim sub cautela, ac fidejussione feve-
 „re admonendus erit, a concionibus
 „deinceps usque ad ulteriorem nostram
 „declarationem abstineret. Inprimis
 „scripta, verbaque in Sanctos Dei, Pon-
 „tificem Romanum, ceterosque Ca-
 „tholicæ fidei addictos blasphema
 „prorsus ejuraret. Simul atque, quid-
 „quid ejus generis in Dei Sanctos, Ca-
 „tholicos tam Ecclesiasticos, quam se-
 „culares ordines, injuriose dissemina-
 „set, partimque ex authoribus aliis
 „collegisset, hoc amplius ne tueretur.
 „Sed reatum, peccatumque suum pro-
 „fiteretur. Deque cetero illi operam
 „daret modestiæ, ne tam ob superius
 „ac præmissum, quam subsequens de-
 „lictum duplicata, eaque vindice ac se-
 „vera pœna, sine remissione, coercen-
 „dus veniat.,

„Secundum hæc amice, fraterne
 „ac clementer contendimus, velles
 „præfatum illum Zeæmannum Concio-
 „natorem prævia cautione, ac stipula-
 „tione relaxata Custodia impune dimit-
 „tere. Adeoque stipulationem ut post-
 „mo-

Sæc. XVII. „modum impleat, per tuos severa ex
A. C. 1628. „lege, ab illo exigere. „

Acceptis igitur hisce literis Zeæmannus liber dimittebatur, palam professus, quod in suis Concionibus & scriptis moderationis limites transgressus haud parum aberraverit. Hac autem confessione ceterorum Lutheranorum Præconum invidiam in se concitabat, eoquod hæc verba interpretarentur, perinde ac si falsus fuisset, quod Religionem Papisticam pro vera & antiquissima agnoverit, Papam pro sancto, se vero pro calumniatore declararit &c.

§. XIII.

*Templum S. Mariæ de Victoria in
gratitudinis monumentum a Fer-
dinando II. Pragæ in Monte
Albo erectum.*

*Carafa l. c.
Lotich.
l. 24. c. 3.
Meteran.
Hist. Belg.
l. 48. Theatr.
Europ.
p. 1079.*

EO tempore, quo Ferdinandus II. Pragæ morabatur, Wallensteinii Principis Legatus unacum octoginta captivis, duobus Tribunis, & triginta Centurionibus quinquaginta peditum & quadraginta sex Equitum vexilla Danis erepta Cæsari obtulit, quæ postmodum Viennæ in sacello Beatæ Virginis Lauretano in perpetui trophæi gratique animi monumentum affixa fuere: Captivi vero Pragæ jure belli ali-

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

aliquamdiu detepti postmodum dimissi sunt, ea lege, ut integro semestri contra Cæsarem non essent militaturi: Laurentium vero Realem Viennam sub custodia transmitti iussit Imperator, eoquod cum Batavis copiis Sundæ transitum in Daniæ Regis favorem, non sine Cæsareorum dispendio obsedisset. Hic sæpius a submissis Religiosis ad Catholicam fidem invitatus, semper se potius Atheum, quam Calvinistam professus est: Ceterum luculentiori adhuc specimine Ferdinandus Cæsar suam erga Deum gratitudinem testabatur, dum votum Deo optimo, si victoria contra rebelles potiretur, nuncupatum exsoluturus, hoc anno Pragæ in Monte Albo Templum unacum cænobio extrui curavit, illudque Deo in honorem B. Virginis Victoriosæ sacravit. Die igitur vigesima quinta Aprilis solemnè pompa primum sua manu lapidem ad fundamentum superintulit, hanc festivitatem sua præsentia ac pietate decorantibus Eleonora Gonzaga Imperatrice, Ferdinando III. Hungariæ & Bohemiæ Rege, Archiepiscopo Pragensi, Cardinale Ernesto ab Harrach, & Patre Henrico Generale Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis. Lapis vero ille sequenti sub quadratis literis inscriptione insignitus erat. *Anno. M. DC. XXIIIX.*

Hist. Eccles. Tom. LIX.

D

Die

Sæc. XVII. Die XXV. Aprilis, Ferdinandus II, Imperator semper Augustus, Catholicæ fidei Defensor Acerrimus, pro gratiarum Actione Victoriæ contra Rebelles, & Hæreticos, Anno M. DC. XX. Die VIII. Novembris in Monte Albo obtentæ, Hujus sacri Templi sanctæ Mariæ de Victoria primum Fundamentum posuit.

§. XIV.

Cæsaris oppositio contra Aquileiensem Patriarcham a Papa electum.

Meteran. Hist. Belg. t. 48. p. 574. Jam a pluribus annis fervebat controversia inter Domum Austriacam & Venetorum Rempublicam de Patriarchatu Aquileiensi, qui schismati propter tria famosa capitula originem suam debebat: Vendicabant enim Veneti sibi solis Patriarcham & Istriæ Primatenuatione Venetum nominandi jus, quinimo ne vel per primas preces vel aliquo pacto ad domum Austriacam ejusmodi Patriarcham constituendi ordinem unquam pervenire posset, a pluribus retro annis copiam fecerunt, ut Patriarcha sibi Coadjutorem cum jure successionis assumere valeret. E contrarium Domus Austriaca hoc jus sibi competere obtendebat, eo quod Aquileia in ejus ditione sita esset. Postquam igitur

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

tur Urbanus VIII. Papa quemdam Præ-
 sulem natione Venetum huic Ecclesiæ
 præfecerat, Ferdinandus Cæsar Alber-
 tum Petlerum de Rudolphsberg Romam
 ablegabat, qui die decima Augusti Cæ-
 saris nomine summo Pontifici hæc ex-
 poneret: „Jam integrum effluxit quin-
 „quennium, ex quo sæpius tam Petle-
 „rus, quam Cardinales Sanctitati ve-
 „stræ necnon Purpuratorum Congrega-
 „tioni jus Cæsareum in Aquileiensem
 „Ecclesiam, traditis etiam Ferdinandi li-
 „teris exposuerunt, irrito semper suc-
 „cessu, cum tamen Cæsareæ Majestatis
 „petitioni non minus deferendum fuif-
 „set, quam cujusvis Itali Principis vel
 „Comitis, quos tamen sua Sanctitas
 „nec contemnere nec repellere solet,
 „ac Romana Curia cuiquam justitiam
 „denegare hucusque assueta non sit,
 „Præterea Sanctitas sua magis Venetis,
 „quam Cæsari favere, totumque nego-
 „tium, quod Cæsar integra fide proponi
 „curavit, in dubium & controversiam
 „trahere videtur; hac autem ratione
 „Venetorum causa haud parum pro-
 „mouetur, cum tamen hi Patriarcha-
 „tui tres ditiones eripuerint, e contra-
 „rio autem Cæsar illum Sacerdotis lo-
 „cupletarit, & ad Principatum evexe-
 „rit, imo etiam Sanctitati suæ Aqui-
 „leiensem urbem cum omnibus anne-

Sæc. XVII. „xis tradere constituerit, dummodo fi-
 A. C. 1628. „dum Cæsaris subditum, ac natione
 „Germanum in Patriarcham eligere,
 „eique hanc Ecclesiam commendare
 „vellet, præcipue cum nec Veneti, nec
 „quivis alius præter suam Sanctitatem
 „Beneficium Coadjutoris erigendi jus
 „habeat; quoniam vero Sanctitas sua
 „prætensas Venetorum rationes, utillæ
 „refelli, & firmum Cæsaris jus pro-
 „pugnari posset, Cæsareo Deputato non
 „communicarit, hinc si Sanctitas sua
 „primo conceptam, ac non modo Au-
 „striacæ Domui sed & toti Nationi Teu-
 „tonicæ noxiam, sacrisque ac profa-
 „nis juribus adversam opinionem tueri
 „voluerit, declarat Cæsar per præfa-
 „tum Petlerum, quod omnia, salva ta-
 „men veneratione sacræ Sedi debita,
 „in Cæsaris, Imperiique Romani præ-
 „judicium attentanda tanquam irrita
 „& nulla habeat. Indecens autem fo-
 „ret, si Sanctitas sua, utpote in pro-
 „pria caussa, judicem adversus Cæsa-
 „rem agere, Venetisque, qui Aquile-
 „iensem Ecclesiam contra Divinas hu-
 „manasque leges exspoliarunt, opitu-
 „lari vellet: Eapropter palam decla-
 „rat Cæsar, quod Venetorum nullus
 „ad Beneficium vel sacrum vel profa-
 „num intra Romani Imperii territorium
 „deinceps sit assumendus, omnes vero
 „redi

Sæc. XVII.

A.C. 1628.

„reditus, qui ex Romani Imperii ter-
 „ritorio proveniunt, sint sequestrandi,
 „quamvis enim hujus Patriarchatus
 „Ecclesiastici Sanctitati suæ subjecti sint,
 „temporale tamen Cæsaris jurisdictioni
 „subest, proin cum apud Germanos
 „Spirituale sine temporali subsistere ne-
 „queat, urbsque Aquileiensis absque
 „omni controversia Nationis Teutonicæ
 „Imperio subjaceat, luce meridiana cla-
 „rius elucet, quod Patriarchatus di-
 „gnitas ab urbe & Natione Germana
 „separari, Venetisque tradi nequeat,
 „præcipue cum Aquileiensis Urbs ab
 „Imperatoribus fuerit erecta. Insuper
 „declarat Cæsar, quod sibi haud im-
 „putari possit tot millium animarum
 „interitus, malaque inde oritura, eo-
 „quod Sanctitas sua celebrem, ac bel-
 „licosam Nationem Germanicam in to-
 „to Orbe frequentissimam & de sacra
 „Sede optime meritam adeo vilipen-
 „derit, indignamque, ut Patriarchatus
 „dignitatem a sæculis possessam obtine-
 „ret, reputarit. Cum ergo Sanctitas
 „sua Romano Cæsari tantum dedecus
 „vimque, ex stylo Curia Romanæ in-
 „ferre nec debeat nec possit, utque hu-
 „jus negotii gravitas cum omnibus suis
 „circumstantiis ante oculos ponatur,
 „atque injuria Cæsari illata, Romanæ
 „Urbi, ac universo Orbi innotescat,

D 3

„nec-

Sæc. XVII., „necnon S. R. Imperii Principes, nihil
A. C. 1628. „hac in re a Cæsare fuisse prætermis-
 „sum, intelligant, minus vero Catho-
 „lici ex in suspensionem vel indignationem
 „conciant, aut hæretici illudant, hinc
 „Cæsaris jussu ac nomine hanc decla-
 „rationem summo Pontifici fieri oportet.
 „tuit.,

Tum quidem ad acerbiora minime
 doventum, progressu autem temporis
 occasione hujus Patriarchatus gravis-
 simæ exortæ sunt perturbationes, qua-
 propter annuente Domo Austriaca &
 Venetorum Republica Benedictus XIV.
 anno Salutis nostræ millesimo septin-
 gesimo quinquagesimo primo hunc
 Patriarchatum suppressit, ejusque loco
 duos Archiepiscopatus erexit, alterum
 Gorizii in ditioe Austriaca, & alterum
 Utinæ in Veneta, ita ut ad hunc no-
 minet Republica, ad illum vero Au-
 striæ Archidux, neuterque ab altero
 dependeat.

§. XV.

Continuatio belli Mantuani.

Ferrer. con-
tin. Hist.
Hisp. t. 12.
Brasson. hist.
d'Ital. l. 1.
Gramond.
Hist. Gall.
lib. 18.

Hoc anno lites ex controverso succes-
 sionis Mantuanæ jure ortæ univer-
 sam turbabant Italiam, & quidem Hispa-
 ni inito cum Sabaudis foedere, Montfer-
 ratensem Ducatum, priusquam illo po-
 tiren-

tirentur, inter se jamjam dividebant: Sæc. XVII.
A. C. 1628.
Futuri belli calamitatem prævertere nitentur Ferdinandus Imperator, causam in Aula Cæsarea per viam juris ventilari postulans: Suffragabatur eidem Urbanus VIII. Pontifex Maximus; prævaluit tamen Olivaresius Hispaniæ Regis Minister, cujus jussu Corduba Mediolani Gubernator in Montserratensem Provinciam irrumpens, Casalini obsedit, Sabaudus interim Genuensium copiis auctus, Alban, Trinum, aliasque vicinas urbes rapido victoriæ cursu sibi subjecit: Nivernius vero Dux, cum sibi ex toto Ducatu nil nisi Pontzonam, ac Casalini, & hanc ab hoste cinctam superesse cerneret, Agnellum Episcopum Mantuanum Viennam ablegat, ut a Cæsare, utpote supremo Feudi Domino investituram, quam hactenus petere neglexerat, impetraret: Verum non modo Episcopo, sed & Retelio Nivernii Filio postmodum submisso Cæsar clientellæ beneficium denegavit, missoque Joanne Nassoviæ Comite Mantuanum Ducatum sequestri nomine sibi vendicavit, omnibus hujus Provinciæ Proceribus, subditisque significans, quod Imperium a bellorum motibus erepturus, ut eos, qui via armorum quam legum experiri, jusque suum prosequi malunt, præverteret,

D 4

Nas-

Sæc. XVII. Nassovium in Italiam decrevisset, qui
 A. C. 1628. salvo contententium jure Mantuæ &
 Montferratis possessionem apud Cæsarem tanquam sequestrum deponeret, donec discussa causa de legitimo Possessore constiterit. Petebat insuper Cæsar, ut suo nomine huic Legato subditi omnem operam, obsequium, nec non fidei sacramentum exsolverent. Ne vero Nivernius illata jam Hispanorum arma obtendere posset, insuper Cæsar Khevenhillerum Comitem edecreverat, ut Cordubam a suscepta Casalis obsidione dehortaretur: Verum irrita erant Cæsaris monita; quippe Corduba totis viribus obsidionem urgebat, & Comes de Monte-nigro Hispani exercitus Dux jamjam in Mantuanam penetraverat ditionem, Nivernius quoque nequidem post interminatam proscriptionis poenam Cæsaris mandato morem gessit; unde Nassovius die quarta decima Maji Mediolanum re infecta reverti compulsus est; Nivernius vero a Cæsare male edocto ad melius edocendum provocans, se legitimum Successorem proin sequestrum omnino superfluum esse, edita apologia demonstratum ibat, Regisque Galli potentiam implorabat, eodemque tempore Venetorum impulsu, qui Nivernio favebant, summum Pontificem in partes vocare nite-

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

nitebatur. Hic vero Cæsaris arma
 contra Sedem Romanam provocare ve-
 ritus, Hispanam invasionem objecta
 Gallorum potentia prævertendam cen-
 suit, hancque in rem Scappio Nuntio
 Apostolico negotium dedit, ut Placenti-
 tiæ inter contendentes concordiam sta-
 bilire tentaret, eo fine etiam Montium
 ac Pallotam postea Cardinalem in Hi-
 spaniam, aliosque Nuntios in Germa-
 niam ablegabat: ipsemet quoque Cos-
 mus II. Magnus Hetruriæ Dux, qui
 tum Viennæ agebat, Cæsarem eo in-
 clinabat, ut dilata proscriptionis pœna
 Nivernio has pacis condiciones proponi
 curaret. I. Nivernius Germanorum
 copiis Casalini Cæsaris nomine configna-
 ret. II. Hispani & Sabaudus hucus-
 que occupatas urbes tamdiu possiderent,
 donec lis dirempta esset, interim vero
 in Mantuano Ducatu omnes utrinque
 hostilitates cessarent. Verum has quo-
 que concordix leges respuit Nivernius,
 in cuius auxilium Uxelius Marchio cum
 duodecim peditum millibus, & mille
 quingentis Equitibus properans, Am-
 brunni & Brianzoni castra metabatur,
 infausto prorsus Casalensis obsidionis
 successu; comperto enim Gallorum ad-
 ventu Corduba Sabaudo Duci quinque
 peditum millia submittere iussus, haud
 ultra Casalis mœnia undique cingere
 pote-

Sæc. XVII. poterat, aliunde vero ejus milites fa
 A. C. 1628 mis violentia, annonæ, ac præcipu
 æris militaris penuria pressa castra de
 feruere, quin huic inopiæ Hispani oc
 currere possent, eoquod Batavi, Petrus
 Heynio classis Indicæ Occidentalis Ar
 chitalasso, præter plura navigia inte
 gram classem, quæ vulgo argentaria
 vocatur, sub portu Matancono Hispani
 nis eripuissent.

§. XVI.

*Duo Cardinales Diaconi ab Urbano
 VIII. Papa renuntiati.*

*Ciacon. in
 vita Ur-
 bani VIII.*

Jam anno Superiore Urbanus VII
 Pontifex Maximus die trigesima
 Augusti in Purpuratorum Senatu quibus
 que Prælatos Cardinalium Collegio ad
 scribere meditabatur, quos tamen ad
 huc, ut vocant, in pectoris sui scrinio
 reservabat; ex his autem hoc anno
 die septima Februarii, duos promul
 gavit, & quidem. I. Antonium Bar
 berinum Urbani Papæ ex Fratre Nepo
 tem, Diaconum Cardinalem tit. Sanctæ
 Mariæ in Aquiro, qui tamen postea
 Cardinalis Presbyter titulum Sanctæ
 simæ Trinitatis in Monte Pincio coopta
 bat. II. Hieronymum Columnam pa
 tria Romanum, Cardinalem Diaconum

tit. S. Agnetis, postremo sancti Laurentii in Lucina.

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

§. XVII.

Francisci d'Escubleu de Surdis Cardinalis obitus.

Uno prius Mense hujus anni ex Purpuratis solus decessit Franciscus Surdisius natione Gallus, qui Anno Sæculi prioris nonagesimo primo ex Pruliacensi Montisque Regalis Abbate Archiepiscopus Burdegalensis, sequentique anno ad Henrici IV. Franciæ Regis preces Cardinalis Diaconus, postea Presbyter tit. S. Praxedis a Clemente VIII. nominabatur. Eo, quo eminuit, Religionis ac disciplinæ studio omnes Pastoris vigilantissimi partes expleverat, ac primo quidem ad corrigendos Sacerdotum mores Provinciam habuit Synodum, & corruptelas circa beneficia sustulit, suoque ære Sacellum, in quo pro suggestu novitii Concionatores exercerentur, erexit, Cælestinorum & Carthusianorum monasteria magnis sumptibus ædificavit, locupletavitque, urbisque felicitatem introductis Carmelitæ, Capuccinis, Fratibus Minimis, & Ursulinis Virginibus promovit, necnon Cænobium S. Crucis sub Regimine Benedictinorum ad pristinum splen-

Ciacon. in

vita Cle-

mens VIII.

Gramond.

Hist. Gall.

lib. 2.

Vid. Supra

l. 186. §. 3.

p. 244. &

l. 190. §. 94.

p. 432.

Histor. Gall.

lib. 2.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

cap. 10.

Sæc. XVII. splendorem revocavit: Nec tamen sua
 A. C. 1628. pietas, vitæ integritas, sedulitas in
 animarum salutem, nec liberalitas in
 pauperes satis tuta erat a Burdegalen-
 sis Senatus æmulatione, uti supra me-
 moravimus: Habuit tamen semper Sur-
 dius æquus controversiarum Judices
 ac defensores Henricum IV. & Ludovi-
 cum XIII. Galliarum Reges, quibus
 hujus Viri pietas, Zelus & candor
 probe cognitus erat. Tandem vero
 die octava Januarii assiduus hic vitæ
 ac disciplinæ sancti Caroli Borromæi
 imitator Burdigalæ anno ætatis sue
 quinquagesimo octavo beatæ æternita-
 tis viam ingressus est.

§. XVIII.

Synodi Osnabrugensis decreta.

*Harth. Con-
 cil. Germ.
 tom. 9.*

Haud segniore restaurandæ disciplinæ
 studio animatus Franciscus Guilliel-
 mus Bavarie Ducis Filius, sacri Ro-
 mani Imperii Princeps, & Comes de
 Wartenberg Osnabrugensis Episcopus
 die vigesima octava Martii Diæcesanam
 celebrabat Synodum, in qua primo
 quidem Concionatoribus insinuatam, ut
 in producendis S. Scripturæ testimoniis
 nonnisi editione vulgata utantur, nec
 aniles fabulas, aut apocryphas histo-
 rias vel suspecta miracula exponant
 minus

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

minus vero Magistratum Ecclesiasticum vel Civilem palam carpant, sed parcant personis, indignentur vitiis: pariter singulis diebus Dominicis, & non raro etiam festivis post meridiem pueris rudimenta fidei Catholicæ explicent, sique pueri tum convenire nequirent, in concione per horæ dimidium saltem bis in Mense de fidei articulis differant.

II. Præcepit Synodus, ut pro defunctis oblationes Sacrificiorum, eleemosynæ, aliaque pia opera ex Ecclesiæ usu peragantur, pro hæreticis autem ejusmodi suffragia non fiant, cum hæc illis non profint. III. Inter dies festos de præcepto numerat ferias secundam & tertiam Paschæ & Pentecostes, non tamen festum SS. Innocentium. Recenset etiam diem animarum *ante meridiem*.

IV. Præcipit Synodus, ut nulla Puera ante vigesimam quintam a partu diem ad Benedictionem admittatur, hæcque non nisi a proprio Parocho, vel ejus Vicario perficiatur. V. Declarat, Sponsalia valida esse, etsi coram Parocho & testibus contracta non fuerint, suadet tamen, ne clandestina aut in vitis Parentibus & tutoribus contrahantur. VI. Statuit, ut Bibliothecæ in Regularium Monasteriis instituantur, augeantur, & repurgentur a libris vitis, maxime hæreticorum. VII. Prohibet

Sæc. XVII. hibet etiam, *sub pana proprietatis*, n
 A.C. 1628. ulla Monialis census vitalitios, ancil
 las, catellos, gallinas, columbas, a
 ves aut similia habeat: voluit tamen
 ut præter Ordinarium Confessarium bi
 aut ter in anno eisdem alius ab Epi
 scopo approbatus offeratur.

§. XIX.

Rupellensis obsidionis continuatio.

*Gramond.
 Hist. Gall.
 l. 18. Ln-
 dolph.
 Theotr. c. 5.
 Monet. Ru-
 pec. capt.*

Quominus Ludovicus XIII. Francia
 Rex Nivernium Ducem validiori
 ope in Italia fulciret, Rupellensi præ
 pediebatur obsidione, a cujus successu
 publicæ tranquillitatis, ac Regiæ au
 ctoritatis incrementum vel ruina depen
 debat. Ab eo enim tempore, quo hæc
 Urbs Calvinii errores amplexata, Deo &
 Ecclesiæ fidem debitam exuerat, fem
 per Regibus suis rebellis, perduellionis
 caput, omnisque mali fomes exstitit.
 crebrisque fuorum victoriis ad tantam
 pervenit impudentiam, ut non modo
 Statum in statu erigeret, sed etiam
 fræni impatiens, tributis indictionem,
 belli denuntiationem, promulgationem
 legum aliaque similia jura Regia sibi
 arrogaret: Adhuc illa ætate penes
 Rupellenses Sectarios Gallici maris ac
 Insularum, quæ sese ad plagas Alnixi
 & Pictonum extendunt, imperium fuit
 donec

donec nupero nāvali prælio unacum **Sæc. XVII.**
 Anglis devicti Insulis ac simul maris **A. C. 1628.**
 dominio Regi Christianissimo decedere
 cogerentur. Nec tamen propterea
 Rohanæus Sectariorum Princeps ab ob-
 firmato Regem suum opprimendi fu-
 rore quicquam remisit, sed Montpessu-
 lanum, aliasque urbes a Regis obsequio
 avertere conatus, Condæum Princi-
 pem, cæsis Nobilium quadraginta, ac
 trecentis gregariis Africianæ urbis ob-
 fidionem solvere compulit, necnon Ve-
 nelium prope nonnullos Nobiles Regi
 addictos interceptit, quos non tanquam
 bello captos habuit, sed eis aures,
 nares, manus, & quod honestas no-
 minare prohibet, abscindi iussit. Ipse
 quoque Rex, qui Rupellanæ obsidioni
 præerat, comperta Hugonotarum in
 Picardia, Normania, atque Campania
 seditione, Parisios reverti cogebatur,
 Cardinali Richelio primo post Regem
 imperio, omniumque terra marique
 potestate relicta. Hujus vigilantia,
 atque adversus æstuantium fluctuum,
 ventorumque ferociam impiger labor
 Oceanum tam valido cohibuit fræno,
 ut navigia, molesque prægrandes Ru-
 pellam undique cingentes viam omnem
 intercluderent. Promoverat haud pa-
 rum obsidionis successum probata Ca-
 stonis Regii Fratris, Aurelianensis Du-
 cis

Sæc. XVII. cis fidelitas, necnon prompta urbium

A. C. 1628. Catholicarum subsidia, præcipue Cleri

Gallicani, qui quamvis intra sexennium plusquam quinque librarum myriades pro reprimendis hisce rebellibus contulisset, nihilominus hoc item anno tricenis centena librarum millia Regi pendebat. Accurrerat etiam in Gallias Regis subsidium valida Regis Hispaniæ classis, Architalasso Friderico Toletano, qui exeunte Mense Decembri Morbihanum in portum Aremoriorum inventus est: Interim vero, cum Rupellenses Calvinistæ terrestri eruptione penitus prohibiti nequidem prædatoriis scopis Oceanum ultro infestare possent, omnis consilii opisque inopes Angliæ Regem sollicitarunt, ut cum classe eo fine recens instructa auxilium laboranti urbi ferre festinaret: comperto Anglorum consilio mox Ludovicus Franciæ Rex Parisiis Rupellam ad castra reversus est, a Friderico Toletano salutatus, qui tamen, eoquod in Regis alloquio caput pileo tegere haud iustus esset, indignatione inde concepta, aut forte secreto Hispani Ministerii mandato cum sua hucusque otiosa, intactaque classe in Hispaniam reversus est: eadem autem die Ambrosius Spinola unacum Filio suo Franciæ Regem invisit, ac exposita legationis suæ causâ idem Rupellanz

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

pellanæ obsidionis genus, quo ipse Bre-
dam expugnasset, admiratus, lineam
vulgo *communione* dictam urbi nimis vi-
cinam, proin hostilibus belli tormentis
expositam observabat: dein die prima
Februarii Spinola in Hispaniam rever-
so, Ludovicus Rex Fecialem ad obsessos
misit, qui urbis ruinam denuntiaret,
ni confestim deditioe facta in Regis
obsequium reverterentur: Verum hic
cum petulantissimo responso rejectus est,
renuntiantibus Sectariis, se non jam
de pace, sed libertate & salute sua a-
cturos, & pro utraque ad postremam
sanguinis guttam decertaturos: mox
vero Guitonem, invitum licet, in Urbis
Præfectum renuntiant, qui acceptato
demum imperio pugionem in foro ap-
pendi iussit, significans, hoc ferro aut
se, si deditioem acceptaturus, aut
civium quemvis jugulandum fore, si
deditioem fieri suafurus esset.

§. XX.

*Alterâ Anglorum classis in Rupellen-
sium opem advecta.*

Tantam adversus Regem suum con-
tumaciam, atque proterviam Hu-
gonotis inspiraverat Britannicæ clas-
sis fiducia; probe enim cognitum ha-
bebant, quod Carolus I. Angliæ Rex

*Rapin.
Thoyr. hist.
d' Angl. l. 19.
Pufend. In-
trod. tom. 4.
l. 4. c. 1.*

Hist. Eccles. Tom. LIX.

E in-

Sæc. XVII. instigante Bughingamo Cliente suo in
 A. C. 1628. paucis charo, in comitiis die vigesima
 sexta Martii in Rupellensis Urbis sub
 fidium decem alia navigia instrui pe
 tiisset, necnon utriusque Curiae Sena
 tores tertiam classem triginta & un
 majoribus, ac viginti minoribus navi
 giis validam Rupellas destinassent, Den
 bighio Comite Præfecto, qui etiam die
 vigesima septima Aprilis Portu - Osti
 solvit, atque in anchoris ad *Bajæ Co*
put seu sinus Ostium quadriduo otioso
 substitit, donec Bughingamus hujus
 classis Architalassus adventasset: na
 que enim Anglis prælii copia a Rege su
 facta, nisi post clientis sui adventum
 qui prima quaque die cum prævalida
 classe Rupellam obsidione liberaturu
 sperabatur. Postquam igitur obsessi
 Prægnotio, qui cum navicula incolunt
 Rupellam evaserat, Britannicæ cla
 sis adventum perceperant, hoc nu
 tio ovantes, licet inedia ac fame plu
 rimum pressi, nulla mora summis tu
 rium fastigiis vexilla expandunt, festi
 vos statim accendunt ignes, illico ex
 plodunt in lætitiæ signum belli tormen
 ta, amicos, fratres ac libertatis su
 vindices salutaturi: sequuntur etiam
 collætantium voces, veluti jam partem
 victoriæ spes, & oppressi Regis sui a
 gurium. Verum repente gaudia nimis

Salm. Hist.
d' Angl. t. 4.
pag. 196.

præmatura, necnon desideria jam in Sæc. XVII.
 portu stantia, sinistra convulsit fortu- Sæc. 1628.
 na, quæ Rupellanos Deo vindice per-
 tinaciter insectabatur; eadem enim clas-
 sis noctu die vigesima octava ejusdem
 Mensis in Angliam reversa est, totam-
 que Rupellensium spem nova calamita-
 te involvit.

§. XXI.

*Buchingamus supremus Anglicæ Præ-
 fectus a Sicario trucidatus.*

Quamprimum enim Buchingamus no- *Hist. Eccl.*
 væ classis Præfectus Portum-Ostium *Hazart.*
 venerat, vela in altum Rupellam ver- *p. 9. c. 2.*
 sus daturus, pugione transfossus occu- *Gramond.*
 buit. Hujus cædis Auctor erat Joan- *& Rapin.*
 nes Feltonus cujusdam centuriæ Lega- *l. c.*
 tus, qui adulterino liberandæ Patriæ *Lotich. rer.*
 Zelo seu potius fanatismo abreptus Re- *Germ. l. 23.*
 gium hunc clientem, quem ex com- *cap. 3.*
 muni populi Senatusque rumore tan-
 quam apertum Patriæ hostem habebat,
 e medio sustulit: Jam enim ante bien-
 nium die sexta Februarii Buchingamus
 a Bristollo Comite in Regni comitiis ac-
 cusabatur, quod Carolum I. tum Wal-
 liæ Principem in Hispaniam abduxisset,
 ut ibidem Catholicæ fidei præceptis im-
 butus, Papismum in Angliam reduce-
 ret, huncque in finem non modo ipse
 E 2 met

Sæc. XVII. met in Catholicorum Templo sacra
 A. C. 1628. Hostiam adorasset, sed etiam a Pa
 per literas sollicitatus Principem
 eandem fidem, necnon ad literas Pa
 tifici, quem *Beatissimum Patrem* appe
 lasset, perscribendas incitasset, ac
 mum interceptis Jacobi Patris liter
 connubium cum Hispani Regis Fil
 ex proprii questus studio firmasset:
 nimvero Buchingamus Regis patro
 nio tutus, hæc accusationum capita
 non tamen æmulorum invidiam a se
 liciter amovebat: quippe hoc anno
 fus in Parlamento insimulabatur, qui
 præter jam recensita crimina insu
 peculatus, perduellionis. oppressi
 puli, belli temere in Gallos moti, ne
 non Arminianorum patrocinii reus
 fet: inde vero Carolus graviter offe
 sus, ut clientem suum a Parlatenti
 sectatione eriperet, eundem classis Pr
 fectum constituit, spe fretus, quæ
 primum Buchingamus vela in alta
 dedisset, finem invidiæ fore: Veru
 hæc ipsa dignitas eidem vitæ finem
 celerabat; quippe eadem hora, quæ
 sese aut vivum aut mortuum in Rup
 lanam urbem penetraturum, jurab
 a sicaria Feltoni manu die vigesima
 tia Augusti trucidabatur. inde Re
 intimo doloris sensu afflictatus, ut
 renne amoris sui specimen etiam p
 Clie

Clientis sui obitum ederet, illius ami- Sæc. XVII.
 cos continuato favore dignabatur, ac A. C. 1628.
 paulopost Feltonum capite plecti iusse-
 rat: nec deerant tamen, qui eundem
 Anglicanæ causæ Martyrem ex ficario
 facerent.

§. XXII.

Infausta Anglicanæ classis expeditio.

Haud ulterio-rem promissæ opis mo-
 ram, urgentes Rupellensium cala-
 mitates admiserant, quocirca Angliæ
 Rex Buchingamo confestim acceleran-
 dæ expeditioni Comitem Linersium
 subrogabat, cujus etiam imperio clas-
 sis centum quadraginta navigiis valida
 die vigesima quinta Septembris Reæ
 seu Cracinæ Insulæ admota est, cum-
 que Anglis secundior, quam Gallis Au-
 ster affluxisset, Linersius classem ad
 tormenti jactum versus Regia navigia
 promovit, ac die tertia Octobris densa
 glandium procella Gallicas naves in-
 festavit. Eodem tempore Rupellen-
 ses ingentem globorum & flammæ tem-
 pestatem in proximam Regis classem
 detonarunt, emissisque sequenti die
 incendiariis navigiis eandem latius dif-
 fuso incendio absumpsissent, nisi Regii
 Incensas hostium naves continua tor-
 mentorum displosione submersissent:

E 3

Tum

Sæc. XVII. Tum vero tota prælii moles in Anglo
 A. C. 1628 conversa, tamque infesta ab utroque
 latere in eos grandinabat tormentorum
 displasio, tantaque militum, navium
 que omnem aditum intercludentium
 pertinacia, tamque solida oppositæ me-
 lis compages erat, ut Linfersius, Su-
 bisius & Lavallius sectarii agminis Du-
 ctores exactis in prælium quatuor ho-
 ris, in Ream Insulam classem suam in
 gloriæ reducere cogentur. Demum
 Angli, quod plerumque rebus finitæ
 fluentibus proximum esse solet, in Ru-
 pellenium Legatos secum in eadem
 classe versantes infausti successus cau-
 sam rejecerunt, eisdem exprobrante
 quod Anglo Regi impudentissime
 fæditissime imposuissent, asseverante
 ex Oceano expeditum cuique ad Ru-
 pellenos patere aditum, nunc ver-
 cum infestas millenis periculis vias con-
 perissent, nec classem nec militem ma-
 nifesto exitio exponere ultra possent
 datæ autem fidei jam satisfacissent
 cum petitam ab eis annonam in con-
 spectum oppidi adduxissent. Rupellen-
 sium vero nunc curæ sit, eam sibi ve-
 dicare: Enimvero Rupellenses præ-
 pue Dengbigium Præfectum profu-
 etiam lacrimis flectere nitebantur, ne
 tamen impetrare poterant, quominus
 Britannica classis unacum annona, sub-
 lat

latis anchoris retrocederet, ac demum Sæc. XVII.
 in Angliam reverteretur. Unde Secta- A. C. 1628.
 rii consilio, annona, ac alieno subsidio
 destituti in unica animorum pertinacia,
 & munitionum robore salutis suæ spem
 reponere maluerunt, quam ad debi-
 tum Regis sui obsequium reverti, ejus-
 que clementiam implorare.

§. XXIII.

*Extrema Rupellensium obsessorum ca-
lamitas ac pertinacia.*

Jam integer ab urbe obsessa annus vol- Gramond.
 vebatur, intra quem nonnisi unica Hist Gall.
 comœtu onusta scapha incolumis Ru- lib. 18.
 pellam advehi potuit, jejunum pror- Monet. l. c.
 fus famelicæ multitudinis levamen: Calmet Hist.
 unde in immensum fames invaluerat, Univ. l. 151.
 cibis in victum aut nullis, aut ipsa pag. 315.
 asservandi sollicitudine atque mora cor-
 ruptis. Supererat modica frumenti
 portio Nobilium usui reservata, non tam
 ad levandam quam irritandam ventris a-
 viditatem utilis: jamque tanta vescarum
 rerum egestas non modo Oppidanorum
 præcipuos, sed & ipsam Rohanæi Ma-
 trem, Sororemque inceserat, ut, ne
 rabies edendi vitalia depasceret, qua-
 tuor equos, quorum ipsis erat ad
 rhedam usus, sale & pipere respersos
 carni substituerent: demum deficienti-

Sæc. XVII. bus in urbe hisce cupediis, cives ad
A.C. 1628. canes, feles, & mures caro venales
 & absurda quæque vellenda converte-
 bantur, hæcque avida manu discerpta
 sine concisionis aut coactionis cura
 præ impatientia calentis stomachi sa-
 turitatem festinantis, ciborum quam-
 dam in similitudinem redigebant; pro-
 cessu temporis extremam famem ex-
 ficcatis animalium coriis explere fun-
 ctus vitæ amor suaserat: calceamenta
 crepidæ, ocreæ, coria longo usu de-
 trita, ipsæ solæ in lebetes missæ, lar-
 giusque affusa aqua maceratæ, ha-
 demum pene morientium delitiæ, ex
 illorum dapes erant apparatus Persicæ
 potiores: Effodiebantur pugionibus
 manuumque unguiculis, sylvestres ra-
 dices & herbæ, gulæque collecta cu-
 piditas in tam cruda dape ultimum præ-
 teritæ famis solatium ac condimentum
 inveniebat, potissimi etiam inter gran-
 dinantes obsidentium globos, atque evi-
 dentissima vitæ vix non fugientis peri-
 cula ostreas aliaque per arenas serpen-
 tia animantia, quæ littorum in vadis
 recedens maris æstus destituerat, ces-
 satim collegerant, rara tunc tamen,
 neque tantæ famelicorum turbæ sus-
 sectura, neque scrutantium solertia
 semper opportuna: Hic toto trimestri
 obsessis cibus, hæc Rupellæ calamitas
 inde

indeque nata stomachorum vitia, tabes Sæc. XVII.
 corporum, corruptelaque viscerum, una A. C. 1628.
 cum febribus, quibus jamjam plus-
 quam tredecim civium militumque mil-
 lia absumpta fuere, nedum tamen fra-
 cta rebellium ferocitate, qua ipsimet
 pulverem pyrium distraxerant, belli-
 que tormenta, ne Regias in manus
 venirent, impactis clavis obstruxerunt,
 cum tamen facillime, nisi legitimum
 Regem suum debellandi furor præva-
 luisset, suam suorumque vitam, facul-
 tates, & ærumnas implorata clemen-
 tia, honestaque deditioe redimere
 potuissent. Non deerant quidem, qui
 vel calamitatibus expugnati vel per-
 duellionem pertæsi impensius extremo
 malo remedium opponi efflagitarent.
 Attamen ad horum lamenta surdæ e-
 rant obstinatorum aures, quinimo ob-
 servatum est, quod in unico mense fre-
 quentiores, quam per longum antea
 tempus, nuptiæ fuerint celebratæ, eo
 sine, ut urbe expugnata Calvinistarum
 Filix Maritis Religione Catholicis nu-
 bere prohiberentur. Adeo insanum e-
 rat Hugonotarum odium in Catholi-
 cos, regiosque.

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

§. XXIV.

Seditio ac dissensiones inter Rupellanos Calvinistas exortæ.

Monet. l. c.

Auctis indies obsessorum molestiis seditio in civitate concitata est; cum enim mulieres, pueri ac puellæ, ceteraque imbellia capita, quæ continenter a ferociente milite Rupellano expellebantur, quotidie a Regiis in urbem retunderentur, pietate rabiem accedente, complures detestabilem ceterorum pertinaciam execrabantur, palam vociferantes, optimo Principi urbem esse dedendam. Ast horum ejulatio factiosis adeo stomachum irritabant, ut palam ad arma iretur, civibus ipsis in cives gladium stringentibus, quo congressu deterior seditiosorum causæ viribus evasit superior, eoque victorum processit furor, ut obstinati deditioem suadentium non paucos ultimo supplicio multarent, ceteris, quibus perduellium ferrum pepererat, deinceps ne hiscere quidem audentibus. Hoc intestini belli successu Ruppellani effertiores effecti, Regiam molem, vicinasque stationes quadriduana tormentorum explosione acrius, quam sesquimense superiore toto fecissent, appetere instituerunt, vana Anglicæ classis

mos

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

mox reversuræ fiducia animati. Tum enim apud Guitonem Urbis Præfectum, Virum factiosissimum ac longe insolentissimum sibi que similes tam immota inhæsit Britannici subsidii spes, urbisque propugnandæ sententia, ut superba prorsus confidentia calamitatem, sub cuius ruinis ipsimet suspirabant, despicerent. Horum quoque contumaciæ applaudebant præter Rohanæi Ducis Matrem, Sororemque Calviniani Pastores, quos inter præcipue Godefredus Salebertius convocato in plateam omni populo sermonem habuit, in quo Regem suum cum Pharaone, & rebelles Hugonotas cum Israelitico Dei populo conferens, nefanda prorsus Divini Verbi profanatione in luculentæ perduellionis defensionem prodigii similis spem ingerere haud dubitabat: Sacrilegæ autem suæ declamationis summa hæc erat: „Etsi Angli recesserint, prima
 „quaque die redituri sunt: hyems in-
 „stat, imminent pluvix, & venti, qui-
 „bus concatenatæ naves, & repagulum
 „mari oppositum disjicientur; hæc om-
 „nia hominum opus sunt: Nostis Pha-
 „raonem, quia in curribus, & in equis
 „gloriabatur, submersum undis, dum
 „Dei populum oppressit: sperate in Deo,
 „qui per maria præbuit amicam manum
 „Israeli, qui manna pavit in deserto
 „popu-

pello
 is fe
 cum
 cete
 cimen
 expel
 rben
 cce
 etero
 palat
 rben
 lator
 nt, u
 ofis
 no in
 cauff
 oron
 onen
 appli
 per
 ncept
 Ho
 ffer
 inas
 ento
 squi
 appe
 lass
 mox

Sæc. XVII. „populum suum: qui convertit petras
 A. C. 1628. „in stagna aquarum, qui pueros in for-
 „nace ardente placido rore asperfit: De-
 „nique, qui corvo charitatem inspiravit,
 „qua Prophetam fame exhaustum ale-
 „ret. Salutem ex inimicis procurabit
 „Deus urbi suæ, si in ipso speraveritis,
 „non deerit providentia Deo, si fides
 „homini non defuerit. „ Dein ad Gui-
 „tonem conversus: *Hic, inquit, vobis
 Moyses est, illi lex a Deo data, qua regat
 Israellem, utar Evangelii verbis: quæcun-
 que dixerit vobis facite, hic est, in
 quo sibi Deus bene complacuit, ipsum
 audite. Ad hæc Guito declinata mole
 liter laude: Non est, inquit, tanta de-
 speratio rebus nostris, quanta Israeli in
 deserto: Subsidium, quod speramus, in li-
 tore nostro est: non eadem semper fortuna
 in bello; tentavit semel transitum Anglus,
 & repulsam passus est pro peccatis nostris;
 tentabit iterum, & perumpet pro Gloria
 Altissimi: brevis est mora pro libertate,
 pro religione, pro vita: quo res cunque ca-
 sura sit, utrinque præsens imminet pericu-
 lum. ex fame, si perseveratur, ex furca,
 Urbs deditur: quanto dignius est in liber-
 tate mori ex facto glorioso, quam in furca
 finire ex imbelli actu, tanto præstat deditio
 legitima defensio. Denique victima esset po-
 pulus Rupellanus Richelio Cardinali, cuius
 ambi*

ambitio, & omnis Gloria, extirpare Evangelicam fidem, quam vocat, hæresim. Sæc. XVII.
A. C. 1628.

Hujus vero Rabulæ intempestivam garrulitatem interpellabat Nobilis quædam Matrona nomine *Nova - Domus*, quæ seditiosam ejusdem suorumque pertinaciam, atque inde enatam recrudescentis intra stomachum famis tyrannidem, ceteraque incommoda in-
cusans, subjunxit: *quid ergo moramur? quin ad Regem confugimus? quantacunque barbaries erit apud hostem, si exuimus pertinaciam, pauci expiabimus, si perflamus, nemo post triduum superstes erit.*

His auditis mota acrius seditione ipso in Templo sub Prædicantis concionem quædam Virgo fanatico furore agitata Matronæ colaphum impegit, mox autem itum ad verbera, Matronæ Domesticis atque amicis in petulantem hanc fœminam turmatim irruentibus, cui tamen cum non deessent, qui eam protegerent, res ad ultimum seditionis eruptura videbatur, quam tamen Guito Præfectus immisso militum agmine ad tempus restinxit: Habebatur postea Rupellæ Senatus, ubi pariter inter Consilii Primores ac Magistratus colaphis decertatum est, quorum unum ipsemet Guito fuste excepit, alter vero injuriam sui Collegæ ulturus vicissim Guitoni alapam impegit: demum latius serpen-

Sæc. XVII. serpente tumultu milites civesque tur-
 A. C. 1628. matim in Guitonis ædes irrupere, mi-
 nisque atrocibus imperarunt, ut urbem
 dederet: Ast tam ipse, quam Rohanæi
 Ducis Mater, ac Calviniani Præcones
 responderunt, quod de Regis clemen-
 tia, ac urbe ejus arbitrio dedenda ul-
 lam mentionem fieri, haud paterentur,
 sed irent ipsimet ad Regem, eique
 Rupellam traderent.

§. XXV.

Rupellensis Urbs deditioe capta.

Gramond & Monet. l. c. Interim Carolus I. Angliæ Rex perce-
 pto infaustæ expeditionis successu
Jäger. hist. Eccl. l. 7. c. 9. Montacutium Equitem Britannum die
Pufend. In- trod. tom. 1. decima sexta Octobris ad Ludovicum
l. 1. cap. 4. Franciæ Regem ablegabat, ut pro An-
 glis Rupellæ degentibus vitæ gratiam
 impetraret, simulque concessis quindecim
 dierum induciis inter utrumque
 Regem pacem offerret, ea tamen lege,
 ut pariter Subisius, Lavallius & Rupel-
 lenses inter initæ pacis capita compre-
 henderentur. Verum Ludovicus re-
 posuit, quod de hisce tribus seditiosis
 superflua esset cura, cum sibimet mi-
 nime ignotum esset. qualem se erga Gal-
 los sibi pleno jure obnoxios pro eorum
 meritis gerere debeat, de cetero au-
 tem apud se Angli eodem semper loco
 forent,

forent, quo Galli apud Anglos. Dato Sæc. XVII.
A. C. 1628.
hoc responso Legatus perhonorifice dimissus est: Die autem vigesima Octobris Engolismensis Dux quosdam Rupellenses Piratas, qui propinqua Regiæ clafsis littora legentes, Charentonianæ ripæ agros depopulabantur, non sine ingenti eorum clade abegit: Ex Rupellanis quoque nonnulli aut veniæ desperatione, aut acerbissima inedia adacti ex urbe ad Regios prodibant, qui tamen, cum apud eos suspectæ fidei literæ fuissent inventæ, promeritas obfirmatæ perduellionis pœnas suspensio dederunt. Nihilominus Galli rebelles in Britannica classe agentes ad Regis misericordiam implorandam animos adjecere, selectisque eam in rem quatuor Nobilioribus, binas Regio Archithalasso obfides tradiderunt, totidem vero ad Cardinalem Richelium ablegarunt, inexpiabilis flagitii veniam, quam etiam facile impetrarunt, deprecatoros. Interea vero Rupellenses propria sua pertinacia infelicissimi ad extremas redigebantur angustias; obversabantur in oculis eorum plusquam dena cadaverum millia, quæ insepulta jacebant, non impietate, sed debilitate superstium, quibus semivivis nec ad efferenda cadavera, nec ad effodienda sepulcra vires suppetebant. Demum in mortis necessi-

Sæc. XVII. necessitate constitutis nil reliquum erat
A. C. 1628. quam sese legitimi sui Regis imperio
 subdicere: adhuc tamen obfirmatus Re-
 gem suum insequendi ardor, excusso
 que Monarchici imperii jugo Democra-
 tiam quamdam invehendi cupiditas sce-
 leratiores retardabat, ab aliis vero sectæ
 suæ fanaticismo excæcatis non rationi-
 bus adducta, sed extremis calamitati-
 bus fracta voluntas tandem subjectionis
 desiderium extorquebat: quinimo hi-
 quoque, ne toties, tamque scelestæ vio-
 latam Regis Majestatem coacto etiam
 obsequio supplices placarent, obsta-
 bant Calvinianæ impietatis Præcones
 qui per totam urbem velut Enthusias-
 mo absorpti seditiosis suis concionibus
 atque exaggerato Religionis, quæ apud
 vulgus plurimum valet, periculum
 cives a Regis obedientia etiamnum
 vertere omnibus nervis connisi sunt,
 ut cujus perduellionis sementem jam
 pridem jecerant, segetem aluerant, mes-
 semque uberrimam legerant, tandem
 illam quoque in sæcula a se propaga-
 tam gloriari possent, prævaluit tamen
 illorum declamationibus potentius ex-
 tremæ necessitatis dictamen apud illos
 quibus secta quidem, non tamen con-
 tinuatæ perduellionis furor probabatur.
 Hi ergo spretis infamibus Magistris
 suis die vigesima octava Octobris qua-
 tuor

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

tuor Oratores, atque inter eos præcipue Curbevillæum ad Regem ablegarunt, paci & veniæ impetrandis. Huius igitur opera præfati Oratores sistuntur Ludovico, ipsiusque jussu suæ missionis capita exposituri ad Richelium deducuntur: Hi autem, perversa eorum consuetudine jam semel callam obducente, non tam perduellionis crimen deprecabantur, quam de pristina libertate omnibus Sectariis concedenda; proinde auctoritate semper retinenda pacisci voluerunt. Cardinalis vero, postquam pacta cum subditis velut inter æquales inire, Regi victori indecorem fore, ostenderat, eisdem Author exstitit, ut se Regis clementiæ permetterent, nullasque conditiones præscriberent, ceterisque civibus suis eandem submissionem persuaderent, cum hæc unica esset impetrandæ veniæ ratio: Tanta Cardinalis, Regisque humanitas, quam non modo ipsi, sed nuper etiam Galli Anglorum signa secuti comprobata habebant, illos eo adegit, ut ad urbem, classemque Britannicam reversi ceteris suarum partium omnibus persuaderent, quatenus se suaque, omni sublata conditionum mentione Regis clementiæ permetterent. Postera igitur die quatuor hi Oratores, postquam de omnibus articulis cum Richelio Cardinali

Hist. Eccles. Tom. LIX.

F dina-

Sæc. XVII. A. C. 1628. dinale convenerant, jussu Regis a Proceribus impetratæ gratiæ tabulas receperunt, quas Regis sigillo munitas in urbem, classemque transmiserunt, atque Rupellas die trigesima Novembris reversi, suis civibus impetratæ a Rege veniæ normam exposuere, qua a Magistratu rata habita, duodecim ex civibus præcipui nomine civitatis pleniore, quam hæctenus potestate instructi, ut noxarum gratiam postularent, fidemque ingenui ac perpetui obsequii interponerent, ad Regias ædes prodire. His ergo a Cardinale ad Regis cubile introductis, necnon in genua provolutis, Guttæus eorum Advocatus Ludovicum his verbis supplex compellabat: *Profiteor quidem, Rupellenses fuisse omnium mortalium scelestissimos, in suum Regem ingratißimos, eaque propter veniæ indignißimos: iidem tamen execranda licet flagitiorum colluviæ contaminatißimi, infinita Christianißimi Regis humanitate freti, non possunt veniam desperare, quamquam nihil sibi reliqui fecerint, unde eam expectarent, qui ejus fiducia sceleribus scelera cumularunt: ad eandem tamen, quæ toties, & tam impie violata fuit, confugere clementiam, eamque suppliciter obsecrare audent, ne pro eo reorum habitu, qui nunc est, eis ipsa se adhibeat, sed ex eo, qui revera futurus sit, de ipsorum causa assistendum*

mandum censeat: sancte asseverant, se qua-
les jam esse instituerunt, omni ævo futuros
Regiæ Majestati addictissimos, & omnium
obsequentissimos, id munus ejusdem illi sin-
gulari Clementiæ acceptum ferre, perpetuum-
que laturos, uti, quæ ipsis hanc mentem,
Divina quadam vi adspiravit, & affude-
rit: gestis autem suis evicturi sunt, ut
fateatur perpetuo Princeps Optimus, sicuti
nulla olim extitit sceleratior Rupeculano-
rum contumacia, & perfidia: sic tota
Gallia nullius populi sanctiorem deinde
fuisse fidem, & obsequentiam testabitur:
Ad hæc Rex paucis respondit: Opta-
rem vobis tandem a Numine hanc men-
tem fuisse inditam, ut vestra tam offi-
ciosa verba, sinceri pectoris ingenuus sen-
sus expromeret: utinam vero, non eam
expressisset ab maxime simulatis animis ul-
tima necessitas: nam compertum habeo,
maliciosissimos & versutissimos homines,
nihil omnino machinarum per summum ne-
fas, non commovisse, ut Regiæ ditionis
meæ jugum ex suis cervicibus excuterent:
quoniam tamen asseritis, noxarum vos
duci pœnitentia, omnium perduellionum
vobis gratiam facio, hac lege uti perpe-
tua, sinceraque præstanda in Regem obe-
dientia, & fide Regis Clementia vos di-
gnos præbeatis.

His dictis Herbotius, qui Regi ab
epistolis erat, Regium diploma reci-
tare

Sæc. XVII. tare jubebatur hujus tenoris: *Rupellani*
A. C. 1628. *agnito errore suo veniam a Rege petunt*
fidem & obsequium renovant, nulla causæ
cognitione obedientiam promittunt: fidei
dei præstitæ & obedientiæ promissæ pri-
mus sit actus Urbis deditio, quam sine con-
ditione victori mancipant. Rex miseri-
cors oppidanis, ultro & sponte vitam
libertatem & bona permittit.

Præterea Rex liberum sectæ exercitium intra urbem Hugonotis promissit indulfitque, ut Tribuni gladiis præcincti, gregarii vero inermes urbe excederent, nunquam arma in Regem sumpturi. Demum etiam omnes sententias in Rupellanos pronuntiatas tanquam irritas declaravit. Hac sua clementia Ludovicus Rex toti Orbi testamentum reddidit, quod bello in Calvinistas moto nequaquam sectam insecutus sit, sed duntaxat rebelles Sectarios plectere coactus fuerit, quantumvis ex horum motibus sat perspectum habuerit, quantum furoris ac perfidiæ insaniam Calviniana dogmata suis affectis contra Reges suos instillare valeant.

Ceterum hi ipsimet Rupellensium Oratores, quantumvis sine omni conditione se Regis sui arbitrio permitturos, palam ac iterato professi essent, mox tamen impudenter postulare audebant, ut deinceps sibi jure perpetuo lice-

liceret, eosdem, quos antea, Magi-
 fratus libere eligere, iisdemque immu-
 nitatibus ac privilegiis, quibus hanc
 in diem potiti essent, frui: Ita nempe
 etiam superati, adhuc victores esse ge-
 stiebant, viribusque inedia penitus ex-
 haustis adhucdum restabat animus ad
 restituendos Rupeculæ factiosos Magi-
 fratus, ad instaurandam usurpati juris
 Rempublicam, ac proin ad perpetuan-
 dam rebellionem. Petulantius adhuc
 Guittonus Urbis Præfectus arrogantia
 hæctenus non audita per nuntios Regi
 significari iussit, quod Regi obviam ire
 haud posset, eoquod Magistratus sui ur-
 bisque vetus mos esset, Regibus Ru-
 pellam venientibus non extra, sed in-
 tra pomæria occurrere: insuper per suos
 Oratores petiit, ut Regii copiosam an-
 nonam ex castris in urbem deducerent,
 priusquam Regiis legionibus aditus da-
 retur. Verum Rex id fieri omnino ve-
 nuit ante immissas in civitatem phalan-
 ges suas, occupatasque portas. Mode-
 ratius autem sese gerebant Oratores illi,
 qui condonatæ perduellionis diploma
 in urbis compitis evulgantes populum
 Ministellorum declamationibus demen-
 tatum ad saniora reduxerunt. Fertur
 tamen, quod iidem hi Oratores, cum
 pridie apud Cardinalem lautissimo ex-
 cepti fuissent convivio, ac pertinacio-
 rem

Sæc. XVII.
 A. C. 1628.

Sæc. XVII. rem famem repressuri avidissime omni
 A. C. 1628. cibo sese ingurgitassent, clanculo panem, quantum eorum peræ caperent, sine furti malitia surripuerint, atque in crastinam sui suæque familiæ necessitatem reposuerint.

§. XXVI.

Ludovicus XIII. Franciæ Rex Rupellas victor ingressus.

*Gramond.
 & Monet.
 l. c.*

*Lotich. rev.
 Germ. l. 23.
 cap. 8.*

Die trigesima Octobris præsidariæ cohortes Gallica & Helvetica in urbem inducebantur, ad quarum ingressum Guittonus unacum Calvinianis Primoribus ad Congnensem portam accessit, ac pro Magistratus jure inauguralem orationem habere ausus est: Verum Schombergius Franciæ Marescallus tacere jussu denuntiabat, ipsum titulo & jure omni Magistratus excidisse. Nihilominus ipso Rege, unacum Cardinale Richelio urbem ingrediente, militari satellitio, quo durante obsidione utebatur, stipatus impudenter sefftitit, ast facessere, atque indicta capitis pœna urbis claves tradere, & arrogatæ Præfecturæ simulacrum exuere jussus, vix adduci poterat, ut in perduellione adolescens, atque in contumacia senescens homo Regem se superiorem agnosceret. Eminnit tum præcipue
 inter

inter festivos etiam hostium applausus Ludovici Regis modestia, ac pietas, qua in famelici populi levamen copiosissimam annonam submitti curabat: minus vero suæ vitæ, solique securitatem ac patriæ salutem, Rupella subacta, assertam soli Deo in acceptis referre obliviscebatur; præterquam enim, quod in hac expeditione iteratis vicibus Deo vota nuncupasset, publicasque preces per universum Regnum indixisset, insuper die trigesima prima Octobris literas sua manu exaratas ad Parisiensem Archiepiscopum, grati animi sui testes dedit hæc in verba: *Meis ad Matrem literis eam studiose rogabam, ut Universos Regios Ministros felicitum nuntiorum faceret participes, & quidem abs te nominatim ducto initio, adhibenda gratiarum actione, cum adversum te, tum erga Clerum Urbis, ardentium precum nomine, quas assiduas apud Deum fuderunt ad hunc diem, ejus victoriæ impetrandæ gratia, quam mihi summa ipsius bonitas impertivit, Vix tamen Sansimonius Eques cum eis literis profectus erat, cum nec contentus etiam Villaclerio impositis mandatis, ut tecum super ea re meis verbis ageret, hanc insuper epistolam ad eum destinavi, quam libuit mea manu ad te scribere, ut ea tibi testis esset, quoniam tenus Divinæ bonitati obstri-*

Sæc. XVII. A.C. 1628. *Etum esse me sentiam, & agnoscam: ab
que uti ejus beneficentia insignem victo-
riam debeo, grates ipsi ex animo habeam,
& agam. Cupio autem, ut ipsius infi-
nitæ liberalitati eo nomine adhibeatur pu-
blica gratulatio, & per eos quidem ipsos,
quorum incensus ardor pietatis nunquam
remitti potuit, vel ea diuturnitate tem-
poris, quæ me assiduis & gravibus peri-
culis expositum habuit. Hæc agendarum
gratiarum provincia tuæ procurationis,
ac sollicitudinis fuerit in id tempus,
quod tibi Regina Mater nostra, edixerit:
quo etiam accedet, ut universis Clerico-
rum, & Religiosorum familiis, & Col-
legiis diserte significes meam hanc debel-
latorum hostium singulari Numinis opti-
confeffionem: adjicies insuper, nequaquam
mihi dubium esse, quin æquitati meæ cau-
sæ ipsorum adjunctæ preces, infinitam Dei
benignitatem permoverint, ut exorari
beneficentissime permetteret. Vale.*

LUDOVICUS Rex.

§. XVII.

*Solemnis supplicatio in gratiarum ac-
tionem Rupeculæ instituta.*

Die autem prima Novembris Riche-
lius Cardinalis primum solemne
sacrum celebrabat, ac decantato Hym-
no

no Ambrosiano Pater Suffrenius Jesuita Sæc. XVII. A. C. 1628.
 concionem habuit, apposite selecto hoc
 themate: *Persequar inimicos meos, &*
comprehendam illos, & non revertar, do-
nec deficiant. Nonnulli tamen adulationis
 speciem redoluisse censebant, quod
 hic Concionator Ludovico apud Vil-
 lamregiam periculose decumbenti ar-
 dentius expugnandæ Rupeculæ deside-
 rium cælitus injectum pronuntiasset. Se-
 quenti die Burdigalensis Archiepiscopus
 translata anniversaria defunctorum
 die, apparatusissima pompa rem Divi-
 nam peragebat, instituta postmodum
 solemni supplicatione, in qua Eucha-
 risticus Deus tam diu infandis sacri-
 legiis violatus atque atrocibus calum-
 niis impetitus per urbem circumfere-
 batur, Baldachinum gestantibus Engo-
 lismensi Duce, Allesio Comite, & Bas-
 sompetro ac Schombergio Marefcallis:
 Comitabatur sacram Hostiam Rex Lu-
 dovicus unacum omnibus Belliducibus,
 Ministris, ac innumera Nobilium mul-
 tudine: Triumphalis hæclætitia, Au-
 gusta Religionis Catholicæ Majestas,
 Regisque clementia tantopere Calvi-
 nianæ sectæ præjudiciis necnon rebel-
 lantium perviciaciæ derogabat, ut non
 modo cives prætereunti Regi acclama-
 rent: *Vivat Rex, qui misericordiam fecit*
in populo suo, sed etiam primum velut
 F 5 coacti

*Ludolph.
Theatr. Orb.
pag. 454.*

Sæc. XVII. coacti, postea ultronee, quicquid pretiosum haberent, ad cohonestandam

A. C. 1628

publicæ supplicationis pompam in omnium vicorum parietibus appenderent, atque ex Proceribus Rupellanis nonnulli præter Tremollinm Ducem Calvinianam sectam ejurarent, palam professi, quod a suis Præconibus decepti, a Rege, quem nunc adeo pius experirentur, unaomnes jugulandos crediderint. Postea sub vesperam erigebatur in subjecto veteris Urbis castro Victori Christo trophæum, cruce loci eminentissimo affixa cum hac inscriptione: *Fusis terra marique Anglis, fractis sectariorum partibus, victa subditorum rebellantium pervicacia, vero Dei cultu restituto, Oceano compedibus victo, Rupella in deditioem accepta, dubium majore Clementiæ an fortitudinis exemplo, Regibus & Principibus frustra conjurantibus, victor exercitus Deo optimo Maximo & Ludovico XIII. Galliarum, Navarraeque Regi invictissimo, Pio, Justo, Triumphatori, hoc monumentum sacrauit, Principibus Decus, terror hostibus, applausus gallis, exemplum posteris, Orbi universo portentum.*

Non deerant tamen, qui sectæ suæ rebellandique studio immortui nec agnitæ veritatis stimulo, nec Regis victoris clementia ad saniora revocari poterant.

poterant : hos inter præcipui erant Sæc. XVII.
 Guittonus, Salebertius infamis ille tur- A. C. 1628.
 barum incentor, & Serbiensius, qui
 aliquamdiu Rupeculæ subsistere permiffi,
 postquam nova moliri comperti sunt,
 urbe decedere jubebantur. Æquale
 exilium sibi in caput suum accersebant
 Rohanæi Mater, ejusque Soror Anna,
 quæ utpote in pacis articulis non com-
 prehensæ propter pertinax ac fanaticum
 sectæ suæ studium Niortum relegatæ
 sunt. Tradit ipse Rohanæus, quod e-
 jusdem Mater datis ex carcere literis
 eidem significarit, *captivam se cum filia,*
sed non ideo a prima constantia degenerem,
sibi integram in vinculis animi libertatem
esse: perstaret ipse qua virtute cæpisset,
nec haberet literis fidem, si quas ad ipsum
scripserit, causæ desertionem, aut quicquam
imbelle continentes: vim fore, quandocun-
que a prima virtute scripto discesserit.

§. XXVIII.

Urbani VIII. Pontificis literæ gratu-
latoriæ ad Ludovicum Fran-
ciæ Regem.

Accepto Rupellanæ deditio- Calmet hist.
 nis Britannica classis aliunde vio- Univerf.
 lentæ tempestatis impetu in altum præ- lib. 151.
 jecta die decima Novembris in Angliam Daniel hist.
 reversa est, postquam præter formidi- de Franc.
 nis tom. 10.

Sæc. XVII. nis umbram nec quicquam damni Gal
A. C. 1628 lis, & Rupellensibus præter jejunan
 spem nil levaminis attulerat; plurimum
 tamen inde Ludovici Regis gloria pol
 elusiam conjuratorum potentiam, con
 clamatam hæresim, captamque Ru
 pellam augebatur. Præcipuos autem
 victoriæ fructus reponebat Rex in im
 mota sollicitudine, qua Catholicis suis
 Ecclesias, bona ablata, Nosocomia &
 cimeteria restitui curabat, Templum
 que, quod Hugonotæ ante sexaginta
 circiter annos suæ sectæ ritibus profa
 narunt, in Ecclesiam Cathedralē con
 vertebat, erecto Episcopatu, quem In
 nocentius X. anno Salutis nostræ mil
 lesimo sexcentesimo quadragesimo octa
 vo rursus Apostolico diplomate confir
 maverat. Demum Rex Urbis tot per
 duellionum ræ mænia ab imis funda
 mentis subruï, triplicesque illius fol
 fas murorum ruinis complanari, abro
 gatisque Calvinianæ perfidiæ Magistra
 tibus, abolisque Regii beneficii pri
 vilegiis atque immunitatibus liberæ ci
 vitatis nomen ac jus obliterari voluit.
 Insuper Rex Insulæ arcem, necnon
 nova Turonianæ urbis propugnacula
 præter Santonensem, Mirabellanam,
 Laudensem & Chinonensem arces, in
 festa rebellium receptacula, solo æquari
 iussit. Cum ergo domitis in Gallia
 Secta

Sectariis, altissima huic Regna quies, Sæc. XVII.
 Regibus vitæ solique securitas, Eccle- A. C. 1628.
 siæ obsequium, ac subditis vera Reli-
 gio fuerit asserta, præclara admodum
 lætandi, Regique hanc victoriam gra-
 tulandi argumenta fuere suppeditata
 Urbano VIII. Pontifici Maximo, qui de
 hac victoria, per ipsiusmet Regis litem
 certior factus, præprimis Deo acturus
 grates, a S. Augustini Templo ad
 Divi Ludovici ædes frequenti supplica-
 tione se contulit, ac postmodum hanc
 victoriam Numinis beneficio, Ludovici
 Regis pietati, prudentiæ & fortitudini
 necnon Richelii Cardinalis consilio ac
 labori acceptam referens, gratulatorias
 Regi literas transmisit, in quibus
 cum præter alia scripisset hæc verba:
*Vox exultationis & salutis in tabernaculis,
 videat peccator & irascatur, & Synagoga
 Sathane contabescat &c.* a Sectariis tra-
 ducebatur tanquam carnifex de fame &
 Rupellensium miseria lætabundus. Ve-
 rum Pontifex nequaquam de horum mi-
 feris ac cæde triumphum agebat, sed
 de oppressa hæresi, quæ non modo Ec-
 clesiam, sed ipsos etiam legitimos Re-
 ges per plusquam sexaginta annos op-
 pressit, Regnumque innumeris ca-
 lamitatibus involvit: æqua igitur
 Pontifici erat lætandi ratio, miseratio-
 ne autem indigni sunt, qui ex perversa
 volun-

Sæc. XVII. voluntate miseri esse contendunt; a
 A. C. 1628. forte duntaxat Sectariis anniversariæ

communis gaudii festa celebrare liceat
 eoquod ab anno Christi millesimo quingentesimo decimo septimo sectæ suæ
 fundamenta profuso tot millium Catholicorum sanguine irrigarunt, ac seditio-
 nibus, bellis, conjurationibus, Ecclesiasticorum tormentis, bonorumque Sa-
 crorum spoliis propagarunt? Quam urbane ergo, ne dicam proterve, Josephus Hallus Oxoniensis Pseudo-Episcopus ad hæcce Urbani literas evulgato schediasmate inter alia Pontificem
 ita allocutus est: *Audi, Pontifex Urbane, quod brevi ante tremendum Christi tribunal exaudies pallidus. Pastorem Christiani gregis parum decent sanguinea hæc literæ. Tunc ad arma Sanguinarius Proco conclame; Tunc ut Christianos Principes, nimii quam plenos cruoris ad profectionem suorum clademque horrendam acriter instiges? Ideone tibi creditæ clavis ut ferratas belli portas, eburneasque ditionis inferni aperires? Euge, Petri umbra, nunquid hi tibi Malchi videntur, quibus dum aures præcidere voluisti, levi errore in guttura incidisti! aut nunquid de quibus drupedibus hisce in Gallia stabulantibus dicitur Etum tibi pridem cælitus, occide & manum duca? &c.*

§. XXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1628.*Diversæ Constitutiones Urbani VIII.
Papæ.*

Hoc item anno Urbanus VIII. Papa, Bullar. Magn. Const. Urban. VIII. t. 4. & 5.
 præterquam quod aperto Indulgentiarum thesauro ad pacem a Deo inter Christianos Principes impetrandam, jejunium, preces, & supplicationes toto Orbe Christiano indixerit, insuper plures alias Constitutiones edidit, & quidem die vigesima tertia Martii Clementis VIII. Constitutionem, qua non Sacerdotes, si Missas celebrant, vel confessiones excipiunt, profano Tribunali tradendi decernebantur, ad omnes, dummodo vigesimum ætatis annum compleverint, extendit: compertum enim habebat Pontifex, quod nonnulli sub minoris ætatis obtentu præfatam Constitutionem transgressi fuerint. Die autem nona Augusti Papa diploma edidit, quo declaratum, quod Fratres Capuccini ad laxiorem Ordinem sine Sedis Apostolicæ, ad Carthusianum vero sine Ministri Generalis licentia transire nequeant. Sequentis vero Mensis die duodecima omnia Privilegia quibuscunque concessa audiendi Sæcularium confessiones sine Ordinarii examine & approbatione revocavit, excom-
 muni-

Sæc. XVII. A. C. 1628. municationem quoque die trigesima prima Octobris interminavit in eos, quæ S. Reliquias ex Ecclesia vel libros ex Bibliotheca Fratrum Minimorum Romæ agentium extraxerint. Prius vero die undecima ejusdem Mensis Fratribus de Redemptione Captivorum indulgentiam ut officium & Missam de sancto Petro Nolasco recitare valeant.

§. XXX.

Varia decisiones Sacrarum Congregationum.

*Congr. Trid.
Episc. Rituum &c.*

Prodiere insuper plures sacrarum Congregationum Constitutiones, quæ quidem sacra Rituum Congregatio die vigesima nona Januarii declaravit, quæ Baldachinum Abbatis sine auro sit, & ad summum ter in anno adhiberi valeat, nec etiam Abbati celebranti plusquam una Mitra concedatur, Missaque solemnis Abbatialis non nisi ter in anno sit canenda, & tum quidem non cum septem, sed duntaxat cum sex candellabris, & Abaco parvo. Decidit quoque die vigesima octava ejusdem Mensis sacra Episcoporum Congregatio, quod qui in rixa alicui dicit: *distingue gladium*, eodemque tempore infligit quosdam ictus, non incurrat excommunicationem in duellantes latam.

Exor-

Exortis etiam quibusdam dubiis circa Sæc. XVII.
 Regularium supplicationes, sacra Ri- A. C. 1628.
 tuum Congregatio die vigesima sexta
 Februarii decrevit, quod in eorum Ec-
 clesiis claustra habentibus, supplica-
 tiones fiant intra claustra, secus fiant
 prope muros Ecclesiæ sive exeundo ab
 una porta, & redeundo per aliam sive
 pereandem: nunquam tamen Mulieri-
 bus liceat comitari ejusmodi supplica-
 tiones per claustra Regularium absque
 expressa licentia Sedis Apostolicæ,
 nec etiam extra ambitum Ecclesiæ Re-
 gulares processiones habere valeant sine
 licentia & consensu Parochi, salvis ta-
 men privilegiis, si quæ sint: Processio-
 nes vero confraternitatum non debeant
 extendi per vias, sed circa muros Re-
 gularium, qui eas regunt, neque et-
 iam hi SS. Sacramentum cum solem-
 nitate sine licentia Ordinarii exponere
 valeant. Pariter sacra Congregatio
 Episcoporum die vigesima prima Mar-
 ti præcepit, quod Monialibus tempo-
 re Jubilæi dandus sit Confessarius ex-
 traordinarius: die autem vigesima sexta
 ejusdem Mensis decisum, quod Coad-
 jutor Episcopi, præsentem Coadjuto,
 non possit Benedictionem Pontificalem
 impertiri, nec tamen cogendus sit tum
 Missas aut Vesperas celebrare, sed hoc
 a simplici Canonico peragi debeat.

Hist. Eccles. Tom. LIX.

G de-

Sæc. XVII
A. C. 1628. declaratum quoque die octava Aprilis
quod de sanctis, de quibus nil in Ca-
lendario Romano vel rubricis Breviar
habetur, nil propria auctoritate de-
cerni, minus autem huic Calendario
aliqua Sanctorum officia addi, vel
tus immutari valeant: decisum etiam
habetur, quod insignes Reliquiæ cen-
seantur Caput, Brachium, Crus, aut
illa pars Corporis, in qua passus est
Martyr, dummodo sit integra, nec
parva, & ab Ordinariis legitime ap-
probata, Prohibuit quoque S. Con-
gregatio Missas, ut vocant, Gregoria-
nas, vel de quindecim Auxiliatoribus
de Patre æterno, & quascunque alias
licet tanquam a S. Congregatione ap-
probatae falso spargantur, exceptis ta-
men iis, quæ sunt permissæ Regula-
ribus tantum, ut sunt Rosarii, S. Ma-
riæ de Monte Carmelo &c. nec etiam
de titulis Altarium, nisi sint in Calen-
dario Romano, officium recitetur: pe-
tentibus tamen Monachis S. Gregori
de urbe die vigesima octava Octobris
respondit S. Congregatio, triginta Mis-
sas S. Gregorii non esse prohibitas. Ha-
betur quoque declaratio, vi cuius la-
cus percussus in Ecclesia injuriose
lium laicum alapa, Excommunicatio-
nem minorem incurrisse dicitur. Deni-
que die vigesima Novembris declaratum

tum, quod Canonicis Cathedralibus Sæc. XVII.
 Annuli usus in Missa sit prohibitus: Vi- A. C. 1628.
 carius tamen Generalis absente & præ-
 sente Episcopo ultimo loco inter Cano-
 nicos in publicis supplicationibus ince-
 dat, nisi contraria vigeat consuetudo:
 nec etiam de sancto Canonisato valeat
 fieri Officium extra propriam Eccle-
 siam absque novo decreto.

§. XXXI.

Illustrium Virorum obitus.

Inter paucos alios Principes, qui hunc Theatr. Orb.
 annum vitæ suæ postremum habue- cap. 15.
 re, singulari encomio celebrari mere- Brachel. hist.
 tur Joannes Fridericus Wirtenbergæ p. 136.
 Dux, qui ob singularem animi mode-
 rationem passim *mitis* dictus, ab anno
 ætatis suæ vigesimo sexto patriæ Re-
 gimen multa cum prudentia, ac pieta-
 tis laude rexerat. Biennio ante obi-
 tum in Colmariensi Conventu pro re-
 conciliando Friderico Palatino omnem
 opem operamque suam, incassum li-
 cet, impendebat, quamvis aliunde mi-
 rasagacitate suas ditiones necnon Sue-
 vicum Circulum, cujus Archistrate-
 gus erat, a belli tumultibus univer-
 sam Germaniam concutientibus præ-
 servasset: Obiit tandem die decima
 octava Julii annos natus quadragin-
 ta sex.

Sæc. XVII. Infausto magis fato vitam, quam
 A. C. 1628. ætatis floridæ ardor longævam police-
 batur, juvenili intemperie nimis ma-
 ture finierat Rudolphus Christianus
 Frisiæ Orientalis Comes; cum enim
 Galassi Cæsarei Tribuni signifer duos
 Nobiles singulari certamine implicitos
 compescere jussus, per confluentem tur-
 mam penetrare vellet, atque evaginato
 ense fors Comitum Ministrum perco-
 teret; eo viso mox Comes indignatio-
 ne abreptus, stricto ense signiferum tam
 presse insequabatur, ut hic nullo dato
 fugæ loco, vitam repressa vi tueri co-
 actus gladium suum in sinistrum Co-
 mitis oculum impingeret: quo vel-
 nere Comes in medio juventutis flore
 altera mox die decessit, relicto ditio-
 num suarum Successore Udalrico e-
 jus Fratre.

§ XXXII.

*Epistola nuncupatoria a Facultate
 Parisiensi notata.*

*Argentre
 Coll. Jud.
 t. 2. p. 279.*

Hoc anno Petrus Potel Theologiae
 Magister Theses quasdam propo-
 gnare jussus, ut disputationem suam
 magis augustam redderet, easdem
 Petro Berullio Cardinali magni nomi-
 nis, auctoritatisque. Viro nuncupatio-
 præfixa hac ad easdem epistola.

Illustrissimo Petro Cardinali Berullæo, Sæc. XVII.
Oratorii D. N. J. C. Præposito Generali A. C. 1628.

Petrus Potel salutem plurimam dicit.

Si scholis excelsæ Sanctitatis tuæ De-
votus tibi primum expendere ingenii pri-
mitias, peccare sit (Illustrissime Berullæe)
propter nomen tuum propitiare peccato Ju-
ventutis meæ: ut enim scriptum est: Tu
es Petrus; cui remiseris peccatum, remit-
tetur ei. Verum quis arguit me de pec-
cato? a Domino factum est illud: quærens
enim virum, qui me sub umbra alarum
suarum protegeret, audivi vocem de caelo
dicentem mihi: Ecce Vir, Oriens nomen
ejus, Orientem quæsi vi & hunc cognovi,
quoniam tu hic eras, quem inveni (ascendebat
enim elevata nuper magnificentia tua super
terram) ideo ad te confugi, & me susce-
pit dextera tua: jam tuus sum ego, &
non alius, & si adolescentulus sim, & con-
temptus, an Vir sicut tu? Berullum hæc
ætas non viderat ullum: inter natos homi-
num non surrexit æqualis in natura, inter
filios adoptionis Christi non surrexit secun-
das in gratia: Tuum esse, an Gloria sicut
hæc? Unica est, & unius: mei non alte-
rius Phœnix es tu, & citra condignum:
Phœnix & ego sed ultra: ceciderunt mihi
funes in præclaris, quoniam in manibus
tuis sortes meæ, ideo speravi in te, quia
cognovi nomen tuum, quoniam singulariter
in spe constituit me, qui dedit mihi intelle-

G 3

ctum;

Sæc. XVII. A. C. 1628. *Etum; ascende igitur, & ingredi in Domum matris meæ, & in Aulam genitricis meæ, castra sunt hæc, sed sacra, instat tibi certamen, & examen futurum mihi cum plurimis, ludi sunt, & joci (inquiunt) sed mihi crede suspecti, timendique: adfuit itaque ut certamen spectes, deficientem subleves, vincentem coronas, non satiabor enim, donec apparuerit mihi Gloria mea.*

Postquam vero Facultati hujus epistolæ tenor innotuerat, mox die vigesima octava Februarii Frogerus Syndicus eam ut impiam & blasphemam damnari petiit: pronuntiata igitur sententia Potelus eandem damnare, atque in publicis Sorbonæ comitiis retractare iussus est.

§. XXXIII.

Variae ejusdem Facultatis Parisiensis decisiones, ac Judicia.

*Argentre
l. c. p. 276.*

Cum anno præterito Universitatis Rector in actibus Theologicis prior ipso Nuntio Apostolico nominari contemderit, Rex id ægerrime ferens, die vigesima septima Martii Regii Sigilli Custodi negotium dedit, ut Fillefacum Universitatis Decanum adesse juberet, eidemque Ludovici Franciæ Regis nomine coram ejusdem Universitatis Rectore significaret, Regem velle ac jubere,

bere, ut Sedis Apostolicæ Nuntius ei- Sæc. XVII.
A. C. 1628.
dem Rectori loco, cessione, ac hono-
ris prærogativa præferretur, ejusque
nomen Rectoris nomini præponere-
tur. Relato ad Facultatem mandato,
eadem die prima Aprilis censuit, om-
nino parendum esse Regis voluntati.

Exposuerat etiam Edmundus Amiot
pro prima Doctoratus laurea quasdam
Theses, atque inter alias propugnave-
rat primo, quod *omnis Sacerdos habeat
indistinctam jurisdictionem ab Ordine in
omnes homines II. quod quivis Sacerdos ab-
solvere valide, non licite in casibus reserva-
tis valeat*: Utraque hac propositione
Doctoribus Sorbonicis minus probata,
Edmundus die decima nona Februarii
mentem suam apertius explicans, as-
seribat, hanc jurisdictionem Sacerdoti
non in actu exercito sed signato compe-
tere, eumque absolvere posse omnes
seu poenitentes, qui bona fide accedunt,
cum onere tamen sistendi se rursus coram
Sacerdote habente potestatem in reservatis
ubi reservati erant, ut ab eo absolutionem
impetrent.

Insuperhabita hac explicatione Uni-
versitatis Parisinæ Cancellarius Amioto
Doctoratus honores conferre recusabat,
nisi hæc propositiones rectæ fidei &
Ordini in Ecclesia omni ævo stabili-
contrarias retractaret, judiciumque Fa-
cultas

Sæc. XVII. cultatis Theologicæ subiret. Amio
 A. C. 1628. tus vero, cum Theses suas juxta Sor-

bonæ leges & Statuta se defendisse con-
 tenderet, non modo adversus Cancellarium ad Facultatem die prima Julii
 questum ibat, sed insuper, ne quovis
 pacto juribus ac Facultatis privilegiis
 derogasse videretur, ad supremam Re-
 gis Curiam provocabat: Verum Facul-
 tas collectis Doctorum suffragiis Amio-
 tum jussit, ut suas propositiones his
 verbis revocaret: *Ego Amiotus profes-
 sor coram Facultate in unoquoque Sacra-
 dote præter illam omnem potestatem, quam
 accipit in ordinatione, adhuc requiri ju-
 risdictionem ab Ecclesia, sive ordinariam
 sive delegatam, ut valide absolvat, Et
 eum sensum cupio meam Thesin explicari
 omnemque explicationem, quam dedi præ-
 dictæ meæ Thesi, in tantum probo, in
 quantum est conformis prædictæ meæ pro-
 fessione.*

*Vid. supra
 lib. 195.
 S. 2. p. 251.
 tom. 58.*

Hoc facto Facultas Cancellarium
 de hac revocatione quidem certiores
 reddidit, eundem vero monuit, ne
 deinceps quemquam eorum, qui a Fa-
 cultate pro prima Doctoratus laurea
 approbati, atque oblati fuerint, rejiciat,
 eoquod nullam jus, nullamque
 jurisdictionem vel in Facultatis Alum-
 nos, vel in Baccalaureos eidem ob-
 latos haberet, sed solius Facultatis esse

de eorum doctrina judicare: Ad hæc Sæc. XVII.
autem Cancellarius admodum modeste A. C. 1628.
respondit, se omni honore ac reveren-
tia colere & venerari Ordinem Theo-
logicum S. Facultatis, neque unquam
prætendisse aut prætersurum in jura,
libertates, auctoritatemque Facultatis
in suos Alumnos.

Die nona Augusti Universitatis Re-
ctor ad suas ædes Academiæ Proceres
convocabat, eisdem exponens, quod
Parisiæ Urbis Prætor cum quatuor
ædilibus primum apposuerint lapidem
nomine hujus Urbis, & civitatis in
quodam ædificio, quod apud Claromon-
tanos Jesuitas extruitur, cum multis
numismatis, & Regis & Urbis insigni-
bus, quorum inscriptionem, seu epi-
graphen nesciret, idque eo consilio Je-
suitæ egissent, ut aliquando gloriari
possent, se in protectione esse Urbis Pa-
risiensis, & suum Collegium ab ea in-
stitutum esse, & extractum, sicque il-
lud nominare valerent Parisiense Col-
legium, ut dicunt Rothomagensis &
Flexiense, eaque ratione Universitatis
nomen, dignitatemque opprimere, Ur-
bisque propensum in Universitatem ani-
mum ad se avocare & ad ejus opem &
auxilium, cum opus erit, tanquam ad
suos Patronos confugere possent.

Sæc. XVII. His subjunxit, quod Urbs ex fœderario decem librarum millia suppeditarit, ut ejus ædificii sumptibus subveniret. Quod probro est Academia agebat, cum tot sint Collegia, quæ jam corruant. Quis enim exclamabat ille, *credet eam esse Parisiensem urbem, quæ Academicam hanc tanquam matrem carissimam modo tanta observantia colebat, Et venerabatur? Quæ eidem in lite civium Protestantorum contra eosdem Jesuitas subscriptionem concedebat? Quare hortatus est Rector singulos, ut cum adversarius nullum majus artificium in mentem venire potuerit, majori etiam animorum intentione in hanc rem incumbant. Nunc, inquit, animis opus est, Et pectore firmo. Percepto hoc sermone omnibus & singulis visum est, Die proximo qui sancto Laurentio sacerdos convocandos omnes Ordines, ut jam de re deliberarent.*

Die igitur undecima ejusdem Mensis Rector, Decanus, ceterique Universitatis Doctores Baileulum Urbis Parisinæ Prætorem, atque Ædiles convenere, hæc exponentes: „Intellegimus, quod die octava Augusti ad Collegium Claramontanum delati primus posueritis lapidem ad ædificium, quod ejusdem Collegii Sacerdotes & Scholares erigere meditantur, subdole at

tem vobis occularunt eorum confi- **Sæc. XVII.**
 lium, quod haud aliud est, nisi ut hac **A. C. 1628.**
 occasione in rem suam utentes, jacti-
 tare valerent, quod hoc Collegium
 ab Universa Urbe fuerit erectum, proin-
 posteris opinionem ingerere possent,
 eorum Collegium, cujus tamen ere-
 ctioni eadem Urbs ab anno Christi mil-
 lesimo quingentesimo sexagesimo quar-
 to sese opposuerat, nunc propria sua
 confessione approbatum, erectum, suis-
 que expensis fundatum fuisse: Insu-
 per Urbis decretum anno hujus sæ-
 culi vigesimo tertio die trigesima pri-
 ma Maji innovatum eludere intendunt,
 vi cujus cautum erat, quod ad impe-
 dienda Collegia, quæ Societatis hu-
 jus Alumni aperire moliantur, sua-
 que consilia variis libellis publice di-
 venditis manifestarunt, communem
 cum Universitate causam instituere
 teneretur., Verum ad hæc reposuit
 Prætor, quod hoc actu nequaquam Uni-
 versitatem offendere intenderit, eo quod
 absque omni ritu & solemnitate, ac
 insuper sine Magistratus insignibus, pri-
 mus lapis fuerit positus, & quidem
 ex privato duntaxat obsequendi stu-
 dio.

§. XXXIV.

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

§. XXXIV.

*Romanae Congregationis censura
libros P. Joannis Baptistæ
Poza S. J.*

*Argentre
iom. 3.
Collect. jud.
pag. 239.
Index libr.
Prohib.
pag. 216.
Barthol.
dissert. de
lat. Christi
p. 36.*

*Anton. Bibl.
Hisp. Die-
terich. antiq.
Bibl. part. I.
Vitt. Diar.*

Paucos ante annos Joannes Baptista Poza Cantabriensis Jesuita quemdam librum, cui titulus: *Elucidarium deiparæ Compluti*, edidit, in quo inter alia plurima, quæ, nescio quo enthusiasmo vel fanatismo abreptus somniabat, de sanctis Patribus injuriose locutus, multas, novasque dotes Beatæ Virgini affinxit, asseruitque, quod eadem non minus Christi Pater, quam Mater fuerit, atque ex solo corporis temperamento nec salivam nec alia excrementa habuerit, ac Christus Dominus minus ex ejusmodi temperamenti profectantia absque divina virtute solo contactu mortuos ad vitam revocarit, neque in sacra Eucharistia simul carne et ossa & sanguinem Beatissimæ Virginis sumamus: propter hæc doctrinas liber a Sorbona damnatus, cum etiam Romam allatus esset, Pontifex illius examen sacræ Congregationis Indicis Cardinalibus, & Theologis commisit, atque ex illorum judicio die undecima Aprilis hoc anno decretum edidit, cujus cunctis Christi fidelibus lectio

Sæc. XVII.
A. C. 1628.

hujus libri interdictum est; atque etiamnum in Indice librorum prohibitorum jussu Benedicti XIV. anno Christi millesimo septingentesimo quinquagesimo octavo edito notatus reperitur: unde fors P. Alegambe hunc Authorem nequidem suæ Bibliothecæ Scriptorum Societatis inferuit, quantumvis Jesuitæ hoc ipsum Pozæ Elucidarium Lugduni typis elegantioribus mox recudendum curarint, eorumque fautores totam Nationem Cantabrigiensem in hujus libri defensionem concitarint: Enimvero summus Pontifex Hispanis Patribus præceperat, ut Pozam Madrito ac Compluto in remotiorem locum relegarent, ubi nec calamo nec lingua suam doctrinam propagare possent: hic vero cujusdam in Hispania longe celeberrimi Archiepiscopi patrocinio tutus erat, unde non modo supremum sacræ Inquisitionis Hispanæ Tribunal per tres integros annos censuram Pontificis ratam habere, ac Pozæ librum prohibere distulit, sed etiam ipsemet Philippus IV. Rex urgente Primario ejus Ministro Pozam Madriti Universitatis Doctorem, & sacri Codicis Interpretem nominavit, quinimo Poza a Tribunali Inquisitionis Censor seu, ut vocant, *Qualificator* fuisset renuntiatus, nisi Franciscus Roales

...fura
...ta
Bapti
...quen
...cidari
...quo
...tu
...injuri
...tes
...e, qu
...r, qu
...corpe
...nec
...itus
...nti
...olo
...rit,
...carne
...virgin
...nas
...m
...x
...Inch
...mm
...æ
...idit,
...lectio
...hu

add. unbel.
A. C. 1628.
1710
1711

Sæc. XVII. les Magister Hispanus, magnæ au-
 A. C. 1628. ritatis Vir obstitisset. Ne vero Po-
 errasse videretur, in Elucidarii sui de-
 fensionem plures divulgabat apologia
 præter libellos supplices ad Urbani
 VIII. Pápam, necnon sacræ Congrega-
 tionis Consultores, quoniam vero pu-
 scriptas suas novitates novis semper e-
 roribus auget, atque Romanos Ce-
 sores injuriis & contumeliis insectatus
 esset, hinc die nona Septembris anni
 hujus sæculi trigesimo secundo Po-
 pex omnes Poæ tractatus damnatos
 ac per Andream Scalmanam Curia-
 rem sequens sacræ Congregationis Ca-
 dinalium Indicis decretum in Romanæ
 Urbis compitis affigi iussit.

*Sacra Indicis Congregatio Eminenti-
 simorum, & Reverendissimorum Domini-
 rum S. R. E. Cardinalium infra scriptos
 libros damnat, & prohibet, mandans om-
 nibus & singulis cujuscunque gradus &
 conditionis sub pœnis in indice librorum
 prohibitorum contentis, ne ullus in popu-
 lum eos imprimere, legere, aut quovis mo-
 do apud se retinere audeat, & si quis
 quos illorum habuerint, ut statim omnes
 præsentis decreti notitia locorum Ordinarios
 aut Inquisitoribus consignet.*

*Index libr.
 proh. Lit. P.
 pag. 216.
 Argent. l. 6.*

*I. Libellus supplex ad Judices Vni-
 versitatis & doctrinæ :*

II. *Libellus Anonymus inscriptus: Sæc. XVII.*
 Sanctissimo Domino Nostro Urbano Pa- A. C. 1628.
 pæ octavo, natio & cognatio Canta-
 bricæ Joannis Baptistæ Pozæ e Socie-
 tate Jesu, in causa judiciali Tomi pri-
 mi Elucidarii, *cujus initium est:* Bea-
 tissime Pater, cantabricum Dominium
 & cognatio Joannis Baptistæ Poza e
 Societate Jesu ad pedes Sanctitatis Ve-
 stræ abjecta partes judicialis defensio-
 nis Tomi primi Elucidarii ultro su-
 sciunt &c.

III. *Liber inscriptus:* Sanctissimo Do-
 mino D. N. Urbano Papæ octavo. Co-
 gnatio Cantabricæ Joannis Baptiste
 Poza e Societate Jesu in causa judiciali
 Tomi primi Elucidarii, *cujus initium est:*
 Beatissime Pater. *Doctor D. Joannes*
de Uribe & Tarza nomine cognationis Can-
tabricæ Joannis Baptistæ Poza e Societate
Jesu ad pedes Vestræ Sanctitatis abjectus
partes judicialis defensionis Tomi primi
Elucidarii ultro suscipit.

Et quicumque alii tractatus, Apologiæ
Informationes, libelli supplices, vel quovis
alio nomine expressi pro defensione Elucida-
rîi Deparæ, sive Doctrinæ Joannis Ba-
pistæ Poza, tam prælo mandati, quam
manuscripti.

In quorum fidem manu & sigillo Emi-
nentissimi & Reverendissimi Domini Car-
dinalis Pii sacre Congregationis Præsedi
 præ-

Sæc. XVII. præsens Decretum signatum & munitum
 A.C. 1628. fuit Romæ die nona Septembris anno mil-
 lesimo sexcentesimo trigesimo secundo.

*Episcopus Portuensis Car-
 dinalis Pius.*

*Fr. Jo. B. Marinus Ord. Præ-
 Mag. & S. C. Secr.*

§. XXXV.

*Varij Scriptores Ecclesiastici hoc
 anno defuncti.*

*Miræ.
 Script. Sæ-
 cul. XVII.
 Hypol. Ma-
 rac. Bibl.
 Marian.
 Bibl. Car-
 mel. Script.*

Non pauci ex Scriptoribus Ecclesi-
 sticis hunc annum vitæ suæ postre-
 mum habuere, ex quibus primo loco
 recensendus venit Joannes Gorcomius
 Sylvaducensis Sacerdos, qui die decima
 nona Octobris pie in Domino obiit
 ac posteritati hæc ingenii sui monu-
 menta reliquit. I. Explicationem mys-
 ticam in Cantica. II. Controver-
 sias fidei. III. Exercitationem spirituales
 ad unionem cum Deo. IV. Consola-
 tionem ægrotorum. V. Nuptias Spi-
 rituales inter Deum & naturam huma-
 nam præter hortulum Florum spiritua-
 lium. Alter erat Antonius de Qui-
 tanadvenas Nobilis ac perdoctus His-
 panus, qui a Philippo III. præclaris
 Itali

Italia dignitatibus auctus, quatuor li- Sæc. XVII.
 bros Ecclesiasticorum, præter libros A. C. 1628.
 duos de Jurisdictione & Imperio edi-
 dit. Tertius erat Leonardus Marius
 Coloniensis Academiæ Professor, ac
 postea Patavini Collegii Præses, qui
 commentaria in Pantateuchum, & Ca-
 tholicam Ecclesiasticæ Hierarchiæ af-
 fertionem adversus Marcum Antonium
 de Dominis scripsit. IV. Guilielmus
 Bernardonus Cabilionensis Decanus,
 ac Episcopi Vicarius, qui die vigesi-
 ma quinta mortuus edidit tractatus de
 Curatorum concursu & residentia, de
 indifferentia in Ecclesiasticorum debi-
 tum, & de residentia ob eorum officia
 ab ipsis debita. V. Marcus Antonius
 Othelius Uticensis Nobilis, qui ultra
 quinquaginta annos Patavii Jurispru-
 dentiam professus, commentaria in jus
 Canonicum & civile, præter sua Con-
 silia & tractatus de pactis, ac de jure
 dotium &c. elucubravit. VI. Lau-
 rentius de Bavaria patria Madritensis,
 ac Granatensis Sacellanus, cujus in-
 dustriæ acceptam referimus historiam
 Pontificum, & librum de unione co-
 ronæ Portugalliæ & Castiliæ. VII.
 P. Ludovicus de Ora in America na-
 tus Ord. S. Francisci Chiliensis Episco-
 pus, qui *Rituale Peruanum*, sive brevem
 formam administrandi Sacramenta,
Hist. Eccles. Tom. LIX. H tra-

Sæc. XVII. tractatum de Indulgentiis, modum tra
 A. C. 1628. dendi doctrinam Christianam, & de
 scriptionem novi Orbis præter alia
 puscula publici juris fecit. VIII. Al
 phonsus de Sobrino Hispalensis ex Or
 dine FF. Carmelitarum, qui exegesi
 cis scientiis clarus, præter varios ser
 mones, edidit tractatum de immacu
 lata Conceptione B. Virginis unacum
 epistola ad omnes Hispaniæ Præsides
 hortatoria, ut summum Pontificem
 exorent pro fidei definitione super hoc
 mysterio. IX. Christophorus de Aven
 dago ejusdem Ordinis Doctor Theo
 logiæ, & Philippo IV. Hispaniarum Re
 gi a Concionibus, qui vulgo *Hispanus*
Chrysológus nominatus per celebres ser
 mones de Adventu, de Sanctis, de
 festivitibus, & quadragesima plur
 bus tomis comprehensos, ac iterum
 prælo in variis idiomatibus excu
 scripsit, præter auream coronam Sæ
 cularii live sermones vere aureos in
 cipuas totius anni festivitates. X. P.
 cobus Jacques Gallus, ibidem Carme
 lita, qui dialogum inter Catholicum
 hæreticum, quæstiones viginti quatuor
 casuum conscientiæ, summam Theo
 logicam, & librum de auxilio ægri
 præstando conscripsit.

§. XXXVI.

Sæc. XVII
A. C. 1628

Malvenda, & Thomas Lemofus Ordinis FF. Prædicatorum Scriptores Ecclesiastici hoc anno denati.

Ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui in *Echard. Script. Ord. FF. Præd. Miræus l. c.* sacro FF. Prædicatorum Ordine flo-
ruerunt, hoc anno præclara duo lu-
minaria fuere extincta; horum primus
erat Thomas Malvenda Hispanus,
qui Græcis, & Hebraicis literis excul-
tus, in Philosophicis ac Theologicis,
si parem, vix suo ævo superiorem ha-
buit. Edidit I. librum de nævis lati-
næ editionis vulgatæ, II. tractatus
de incarnatione, & de Dei Nomine
τηταρραμυδραυ, III. de obstrusis Scri-
pturæ locis. IV. Commentaria in Psal-
mos & in varia S. Scripturæ loca. V.
Miscalia & Breviaria, necnon Baronii
Martyrologium recognitum, auctum-
que VI. libros undecim de Antichristo
VII. de Paradiso voluptatis, VIII. ex-
purgationem Bibliothecæ Sanctorum
Patrum editionis Bigneane, necnon
commentaria in S. Scripturam præter
plura alia, eaque doctissima opuscula.
Alter erat Thomas de Lemos itidem
Hispanus, qui SS. Augustini & Tho-
mæ doctrinam de gratia efficaci tam
inti-

Sæc. XVII. intime exhauserat, ut Romæ in solem
 A. C. 1628. sub Clemente VIII. & Paulo V. Pontificibus per sex annos Actoris partes sustineret, ubi non una de gratiæ victoris hostibus reportata victoria gloriatus, ex arena descenderat: tandem vero sacre Inquisitionis Consultor Romæ die vigesima tertia Augusti nomine magna sanctitatis opinione decessit. Extant I. Acta omnia Congregationum de Auxiliis II. refutatio concordie inter Thomisticam & Molinisticam doctrinam. III. Deterio calumnie Thomistis impactæ de Calvinismo. IV. Responsio ad quæstionem, *quis major vires libero arbitrio tribuat - ad bonum & malum? S. Augustinus vel Molina?* V. Concordia Molinistarum doctrinæ cum Semipelagianis. VI. Censura libri de Prædestinatione VII. Censura concordie Paulo Eugubino propositæ. Scripsi de hoc argumento alia quamplurima quæ tamen nondum typis excusa Romæ ad Minervam, variisque in Bibliothecis asservantur. Hujus Viri cultum nonnulli ad annum sequentem rejiciunt.

§. XXXVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1628.*Societatis Scriptores fati fundi.*

Nonnulli etiam ex societate Scriptores hoc anno obiere, & primo quidem Gaspar Sanctius natione Hispanus, qui commentaria in quosdam sacrae Scripturae libros Lugdunensibus literis excusa edidit præter disputationem de SS. Jacobi, Petri & Pauli adventu in Hispaniam. II. Julius Cæsar Bulergerus Gallus, qui Historiam sui temporis, responsionem ad librum Plessei de institutione SS. Sacramenti, Diatribam adversus Caufaboni exercitationes, necnon varios tractatus duobus tomis digestos scripsit. III. Nicolaus Trigaultius, qui de Sinarum rebus, religione, & moribus plures edidit libros. IV. Stephanus Moquotus, Gallus, qui compendium Examinis, & censuræ Bibliorum, necnon examen doctrinae hæreticorum, & censuram Bibliorum Hugonottarum, præter *bellum Ministrorum Sectariorum inter se* divulgavit.

*Alegamb.
Bibl. Script.
Soc.*

§. XXXVIII.

Protestantium Scriptorum fata.

H 3

Haud

Sæc. XVII.
A.C. 1628.

Freher.
theair. Vir.
Witte. Diar.
Spizel.
Templ. hon.

Haud magni nominis Scriptores et Protestantibus hoc anno denotati reperiantur; ex illis tamen recensendi veniunt. I. Rudolphus Goclenius Cobacensis, qui analysin in exercitationes Scaligeri, meditationes Ethicas, nec non adversaria ad exotericas aliquot exercitationes ejusdem Scaligeri publici juris fecit. Hasce exercitationes sua Biblia nominare solitus, die octava Junii octogenario major decessit. II. Wolfgangus Frantzius edidit syntagma controversiarum, Scholam sacrariorum, disputationes in Deuteronomium, tractatum de interpretatione S. Scripturæ, & de initiis certaminum Nestorianorum, & Eutythianorum, disputationes & explicationem Augustinæ Confessionis, assertionem de satisfactione Christi, ac denique orationem de Jesuitarum machinationibus adversus Principes a Romano Pontifice alienos &c. III. Simon Grunæus scripsit Biologiam Principum, & monumentorum Silesiæ pericula, necnon Basileensium monumentorum antigrapha. IV. Georgius Dedekennus patria Lubecensis, qui tractatum de peccatorum causis, praxin conscientiarum, thesaurum Consistorialium Confessionum, & decisionum posteris reliquit. V. Petrus Young seu Junius Jaco

Jacobi VI. Scotiæ Regis Magister, cui Sæc. XVII.
idem Rex omnia sua opera dono de- A. C. 1628.
dit hæc verba illis sua manu inscri-
bens: *Jacobus &c. Petro Junio Equiti*
&c. hoc operum suorum systema offert cha-
rissimo Præceptori gratus discipulus, me-
mor formatae ab illo adolescentiæ suæ ad
virtutis & literarum studia, quæ quanto-
per ex eo amaverit, librum hunc sui pro-
fectus indicem & testem mittit, bonorum,
ut sperat, debitorum more, qui serena fron-
te, gratoque animo sortem sænore multi-
plicatam creditoribus resituunt. Scripsit
Junius relationem de vita & morte Ma-
riæ Scotorum Reginae. VI. Herman-
nus Rothmanus, qui Theosophiam Pa-
trum, responsa ad novas Photianorum
quæstiones, necnon notas ad easdem
contra Joannem Corvinum, præter
continuum Patrum doctrinam circa o-
perationem evulgavit. VII. Georgius
Volchart Norimbergensis, qui clam
Calvini sectæ adhærens, acriter cum
Jacobo Schoppero collidebatur, acer-
baque epistola illum, ejusque theses *de*
Cæna insectabatur: edidit etiam dispu-
tationes de Passione Domini, præter
definitionem Evangelii. VIII. Anto-
nius Burchardus Lubecensis, qui tra-
ctatum de descensu Christi contra Cal-
vinistas & fontes consolationum sacra-
rum concinnabat.

H 4

§. XXXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

§. XXXIX.

*Pax Lubecensis inter Cæsarem &
Danicæ Regem firmata.*

Piasect.
Chron. gest.
pag. 410.
Adlxr. p. 3.
lib. 14.
Theatr. Eu-
rop. tom. 1.
p. 1305.
Brachel.
Hist. p. 146.

Ineunte hoc anno millesimo sexces-
tesimo vigesimo nono Lubecæ a Cæ-
sareis, Danisque Legatis de reddenda
pace serio agitatum est: quamvis
enim Ferdinandus crebris victoriis illis
lustris esset, ac Christianus Danicæ Re-
gum variis quidem cladibus attritus, tem-
porumque novum instrueret appe-
ratum, uterque tamen diuturno bel-
lo fatigatus ad honestas pacis condi-
tiones inclinabat: rem quoque urge-
bant Fridlandus, Tillius, alique Cæ-
sarum Deputati, qui Ferdinando Impe-
ratori & Maximiliano Bavaricæ Electori
datis Gustavo literis exposuere, quod
distractis per Poloniam & Italiam co-
piis Cæsareis, Danus plurimas Hol-
landicæ & Slevici ditiones recuperasset, ac
insuper pollicitis Franciæ, Angliæ,
Sueciæ, & Hollandiæ suppetiis erectus
esset, proin bellum anceps, periculo-
sum, ac Catholicis perniciosum om-
nino timendum foret; eapropter suade-
bant Cæsari, ut certam pacem dubiæ for-
tunæ experimento præferret. Placuit
Fridlando, ceterisque Cæsaris ac Ma-
ximiliano

ximiliani. Bavari Oratoribus, Danique Sæc. XVII.
 Regis Legatis rursus Lubecam rever- A. C. 1629.
 fis, diversæ proponebantur pacis con-
 ditiones, de quibus per quinque fer-
 me Menses ultro citroque acriter disce-
 ptatum, tandem vero in has concor-
 diæ leges conventum. I. Stabilita in-
 ter Cæsarem & Regem sincera amici-
 tia, ac præteritorum oblivione Chri-
 stianus nec Imperii, nec Ecclesiarum
 rebus (præterquam in Holsatia) nec
 vicissim Cæsar Danicis rebus sese inge-
 rerent, controversiis per arbitros com-
 ponendis. II. Dano hætenus erepta
 restituerentur, Cæsari tamen jus vetus
 in Holsatiam, Stormariam, & Ditmar-
 siam salvum relinqueretur. III. Epi-
 scopatus in Germania Daniæ Rex non
 occuparet. IV. Compensatis utrinque
 damnis, dimissisque captivis Femeram,
 & Nordstrandam Dominis suis restituere-
 ret. Hæc pacta utrinque firmata die
 nona Junii non sine magna Lubecen-
 sium lætitia fuere promulgata: Quo-
 niam vero Galli, Angli, Sueci & Ba-
 tavi hanc pacem firmare recusarent,
 nisi prius Palatinus, Megapolitani Du-
 ces, aliique Principes restituerentur,
 eapropter hæc flamma adhuc tunc ne-
 glecta paulopost Universam Germa-
 niam continenti incendio pene delevit.

H 5

§. XL.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

§. XL.

Heidelbergensis Principum Catholicorum Conventus.

*Theatr. Europ. p. 1310.
Et tom. 2.
part. 38.
Lotich. rer. Germ. p. 650.
Adl. 1. c.
pag. 202.*

Januario Mense ad finem vergente Anselmus Casimirus Moguntinus lector, necnon Maximilianus Bavarus ceterique foederis Catholici Principes de communi Imperii bono deliberaturi Heidelbergam convenere: Integro perenne Mense consultatum, tandem veni communi omnium suffragio decretum est, Legatos ad Cæsarem esse mittere, supplices, ut ad reddendam Germaniæ pacem Imperator (prout in Mulhusano conventu ipse suggestisset) de opportunis calamitosi belli avertendi mediis cum omnibus Imperii Electoribus sine mora deliberaret, atque ad tollendam Saxonici Electoris dissentiam mentem suam circa conceptam reformationis decretum eidem sincerè aperiret, certusque esset, quod omni bellici apparatus, quos Catholici Principes foedere juncti fecissent, duntaxat ad stabiliendam Germaniæ pacem, quod Lubecensi pacto nondum sat firma confisteret, necnon ad coercendos Cæsaris hostes spectarent: de cetero viginti septem foederati exercitus millia partim ex foederis ærario, partim ex regionibus

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

gionum occupatarum exactioibus a-
lenda sub signis retineri oporteret. Cum
autem Cæsar nuper Fœderatis Princi-
pibus præcepisset, ut Equestres suas
legiones e Franconico & Suevico cir-
culis educerent, vel dimitterent, Cæ-
sarem rogare jubebantur hi Legati, ne
Fœderati has copias in suas quisque
ditiones utpote omnino exhaustas ad
hiberna inducere cogerentur, sed po-
tius Cæsar Tillio, ceterisque suis Bel-
liducibus præciperet, quatenus hi cum
Fœderati exercitus Præfectis de æquali
utrumque exercitum in hiberna distri-
buendi modo convenirent, secus enim,
si Cæsarei Belliduces suo arbitrio Fœ-
deratos ex stativis expellere præsume-
rent, hi se opponere cogerentur. Po-
stremo hi Legati Cæsarem monere ju-
bebantur, decrevisse Fœderatos Prin-
cipes, quod Archiepiscopus, Episco-
patus, Ecclesias, aliasque Provincias
utpote nonnisi immensis suis sumptibus
ab hoste recuperatas nequaquam red-
dituri sint, nisi refusus prius hisce ex-
pensis, ac præstita cautione congrua.

Verum huic consultationi exiguus
respondebat successus, partim quod
Sueciæ Rex pacis consilia nondum ma-
tura, inopina irruptione everteret, par-
tim quod inter Cæsareos ac Fœderatos
æmulatio, & mutua nimis potentis
formi-

Sæc. XVII. A. C. 1629. formido gliscere inciperet, ac præpue Fridlandus alieni Imperii impotens foederatum militem exauctorari, ac que ad se solum totam armorum auctoritatem, arbitriumque revocari percuperet.

§. XLI.

Gravissimæ Electorum, Principum Ordinumque Catholicorum querelæ super Ecclesiasticis bonis post Passaviensem pacem interceptis.

Lotich. rer. Germ. l. 25. cap. 1. Adl. An. Boic. part. 3. t. 14. Theatr. Europ. tom. 2. pag. 1. Jæger Hist. Ecc. p. 458. Brachel. hist. l. 3. p. 149. Hæc dum Lubecæ, ac Herbipoli reddenda pace gerebantur, antiquum belli in Imperio novis denuo turbis exarsuri argumentum suppeditatum est. Jam dudum enim Electores, Principes, ac Catholici Germaniæ Ordines iniquo ferebant animo, non modo ante Passaviensem transactionem solæ Lutheraniæ sectæ obtentu, per invidiosam possessionem proin nec temporis progressu validam, nec non per iniquam armorum vim, sibi legitimæ ac diuturnæ possessionis jure suffultis totius Episcopatus, Ecclesiarum bona, Collegia & Monasteria fuisse erepta, sed etiam post præfatam pacem, contra ejus pacta conventa, ac sanctionem juramenti religione firmatam a Protestante

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

stantibus duos Archiepiscopatus, duodecim Episcopatus præter quamplurimas dignitate opibusque insignes Ecclesias & Monasteria ab Ecclesia ac Religione Catholica avulsa fuisse. Igitur causæ æquitas, immotum inique ablata repetendi jus, præteritæ felicitatis memoria, ac futuri commodi spes in Catholicis Principibus antiquas suas possessiones denuo vindicandi sollicitudinem acuebat; stimulabat illos quoque ipsum Protestantium exemplum, qui pluribus abhinc annis audacter inter Religionis suæ gravamina reponerant, quod Donawerta eis non esset restituta, Brunoviense & Clostergrabiense Templum ereptum, dirutumque, nondum Romano Pontifici jus in Imperio, nec Catholicis Episcopis Sessiones, aliaque privilegia fuissent adempta, & Protestantes a Catholicorum cæmeteriis exclusi &c. E contrario potiore conditionem Possessoris legitimi ac antiqui, quam novi violentique usurpatoris fore censebant Catholici; unde suis querelis Cæsarem continuo fatigabant, spe freti, quod oppressis Saxonæ inferioris viribus, dissoluto Aatholicorum fœdere, Dano placato, Sueco nimis remoto, Gallo Calvinistarum motibus nondum defuncto, Anglo nupera clade debilitato, Bata-

Sæc. XVII. Batavisque domestico bello irretitis
 A. C. 1629. Cæsar aliunde rei Catholicæ plurimum
 studiosus ablatorum restitutionem præ
 cipere lubenter vellet, eamque hanc
 difficulter urgere posset: nec ipsi etiam
 Protestants merito conqueri vale
 rent, si Cæsar utpote Ecclesiæ Ca
 tholicæ Advocatus avitæ Religioni
 quod semper suum, nunc autem ini
 que ablatum erat, restitui juberet, post
 quam Protestantes a primis suæ fa
 ctionis auspiciis unice Ecclesiarum spe
 liis sectam suam propagare intenti fuis
 sent, perinde ac si, Divini honoris, Re
 ligionis, veritatisque Evangelicæ stu
 dium ardorque in eo consisteret, ut
 legitimi Reges exauctorentur, eorum
 subditi omnibus spoliarentur bonis, Ca
 tholicorum sanguis effundatur, Ec
 clesiæ, Monasteria, cunctaque bona eis
 eripiantur, ac Personæ Deo sacratæ
 ferro, flamma, exiliis, omnique inju
 riarum ac tormentorum genere excru
 cientur, prout luculenta Historiæ mo
 numento etiam post Passaviensem pa
 cem testantur, ac novissime Bohemi
 sub ipsis motuum primordiis rabidos
 suos conatus unice eo intenderant, ut
 in Catholicorum Tempia, & Monaste
 ria, Sacerdotum Procerumque bona,
 officia, & vitam, necnon in ipsum Re
 gis sui solium violentas injicerent ma
 nus,

Bougeant
bell. Tricen.
t. 1. p. 1.
l. 3. p. 168.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

nus, abs dubio, si in Pragensi prælio victores evasissent, omnia fere acerbissima & extrema quæque adversus Catholicos suscepturi. Perpenſis igitur hiſce omnibus cuncti Catholici Principes ereptorum restitutionem impensius urgebant, ipse etiam Urbanus Papa, necnon Cardinales propagandæ fidei Præfecti Cæsarem per Carolum Carasam Sedis Apostolicæ Nuntium ad promulgandum restitutionis edictum sollicitabant.

Paucos tamen adhuc absterrebat rei difficultas, majorisque mali formido; cum enim ex Protestantibus admodum pauci ab usurpationis labe immunes essent, pluresque ex ereptis Ecclesiasticorum bonis suas familias alerent, aut ditarent, haud temere pertimescendum erat, ne hi male consciam mentem usurpationis diuturnitate, aliisque fucatis obtentibus sopientes, nova in Catholicos fœdera essent inituri, supremisque conatibus ad id elaboraturi, ut hucusque possessa, & contra publicæ pacis leges detenta diutius retinere valerent: Nec vanus erat horum metus; quippe Protestantes passim varios spargebant libellos, eo consilio, ut eluso restitutionis jure ad spoliatorum retentionem sese mutuo excitarent. Nihilominus suffragia & numero & æquitate potio-

Sæc. XVII. potiora prævaluere apud Catholicos
 A. C. 1629. Principes, qui exhaustis Protestantium
 Provinciis, accisisque Principum opibus novas turbas ab eis concitatum in
 haud credebant, indolis humanæ viti-
 tio. quæ, quicquid fieri nollet, fieri
 posse, tarde credit. Insuper exulcer-
 ratæ eorum menti recens obversabat
 recordatio funestæ illius indulgentiæ
 qua bona ac cænobia ante Passaviensium
 pactum sibi erepta in vasoribus duntaxat
 cesserant, desiderio certa que reli-
 ctas sibi possessiones Ecclesiasticas quæ-
 te conservandi spe pellecti, vel potius
 decepti: nunc vero fatali experientia
 comprobatum haberent, quod nullius
 pacti religio, datæque fidei Sanctitatis
 sectarios ab iniqua invasione absterne-
 ret, nec hi sacrarum possessionum spo-
 liis fatiati, plura requirituri non essent,
 nisi posteaquam omnia Catholicis ab-
 emissent, adeo, ut hac sua cupiditate
 Julianum Imperatorem imitari vide-
 rentur, qui tunc primum sese ardentis-
 simum Religionis cultorem exhibuisse
 se crediderat, dum Catholicis omnia
 eripuit bona, hacque agendi ratione
 eis persuadere voluit, quod veritas
 æquitasque pro eo militet, qui potestate
 viribusque prævalet: Paulopost Imperator
 suis Deputatis die tertia Junii præcepit,
 ut Francisco Weingarteni

Vid. supra
l. 196. S. 44.
pag. 504.
tom. 58. &
pag. 511.

Bartholomæo Ochsenhusano, Jacobo Sæc. XVII.
 Creuzlingano Abbatibus, necnon Mi- A. C. 1629.
 chaeli Waldseensi Præposito ablata Mo-
 nasteria & Ecclesias unacum reditibus
 restitui curarent, si ea post Passavien-
 sem & Religiosam pacem inique detenta
 fuisse constiterit.

§. XLII.

*Ablatos Episcopatus repetendi ratio-
 nes ab Electoribus Catholicis Cæ-
 sari exposita.*

Tam luculenta erant Catholicorum Lotich. ver.
 jura, tamque manifesta causæ ju- Germ. l. 25.
 stitia, ut non jam de postulationis at- cap. 1. §. 2.
 que edicti, quod *restitutorium* vocant,
 æquitate, sed duntaxat de illius exe-
 cutione quæstio esset: ne tamen Fer-
 dinandus Cæsar proprio arbitrio, &
 absque communi Statuum Imperii con-
 sensu, ac suffragio sententiam suam
 promulgasse, a Protestantibus redar-
 gueretur, omnium judicia, vota que
 requiri voluit, præcepitque, ut Ca-
 tholici Principes, quo pacto, & loco,
 quantisque ac qualibus bonis a Prote-
 stantibus contra Passavienem pacem
 fuissent spoliati, perspicue demonstra-
 rent. Igitur Magdeburgensem præpri-
 mis Archiepiscopatum mortuo Sigis-
 mundo Marchione Lutherano a Cano-
 nicis

Hist. Eccles. Tom. LIX.

Sec. XVII. nicis eadem secta infectis in Joachimum
A. C. 1629. Brandenburgicum fuisse translatum,
 hunc vero inuenta secta anno prioris se-
 culi septuagesimo, initisque nuptiis ean-
 dem Archiepiscopatum usurpasse doce-
 bant. Bremensem vero Archiepisco-
 patum ab anno Christi millesimo quin-
 gentesimo trigesimo sexto a Lutherani-
 nis usurpatum, tandem anno prioris se-
 culi octogesimo quinto ab Adolpho Hol-
 satiae Duce uxorato fuisse detentum
 Dein duodecim Episcopatus a Luthera-
 nis conjugatis Pseudo - Episcopis
 fuisse usurpatos demonstrarunt, &
 quidem Mindensem ab anno 1566. a
 Henrico Julio Brunsvicensi II. Halber-
 stadiensem ab anno 1588. a Julio, ejus-
 que Filio ac successoribus Lutheranis
 III. Verdensensem ab Eberhardo de Halle
 ab anno 1568. IV. Lubeccensem ab
 eodem Halle, circa annum 1562. &
 dein a Joanne Adolpho Holsatiae Duce
 V. Ratzenburgicum ab anno 1554. a
 Schnelleburgo, & Christophoro Duce
 Megapolitano uxoratis. VI. Misnen-
 sem ab anno 1581. a Joanne Haugviti-
 ac postea a Saxoniae Ducibus conjug-
 tis. VII. Mörsburgicum quoque,
 VIII. Namburgicum ab iisdem Saxo-
 niae Ducibus Lutheranis circa idem
 tempus fuisse invasos. IX. Branden-
 burgicum ab anno 1563. a Joachimo

necnon Havelbergicum & XI. Libus-
 sensem ab aliis Brandenburgicis Mar-
 chionibus ad hæredes transmissum. Sæc. XVII.
A. C. 1629.

XII. Denique Caminensem a Cygnæo,
 & anno 1549. a Weysenio, demum
 vero a Pomeraniæ Ducibus in hanc
 usque diem usurpari ostenderunt. His
 ita expositis declararunt Electores, quod
 tam ante quam post præfatam pacem
 præter Borussia & Livonica Ordinis
 Teutonici Magisteria, insuper Rigensis
 Archiepiscopatus unacum aliis decem
 Episcopatibus a Protestantibus fuerint
 erepti, necnon Guttenbergense &
 Hirschfeldense Cænobia, aliaque Col-
 legia, Ecclesiæ & Monasteria eadem
 Lutheranorum violentia infinito pene
 numero subtracta fuissent. Addebant
 denique, quo pacto, quotque vicibus
 Protestantes Passaviensis transactionis
 leges fuissent transgressi, omnibus esse
 notum, palamque testatum reddi ex Pa-
 latini, Brandenburgici & Brunsvicensis
 Ducum violentiis, atque eo temerita-
 tis rem devenisse, ut longe inferiores
 Ordines, Comites, Barones, Equites,
 civitates Imperiales, præcipue Argen-
 tinenfis, Norimbergensis, Ulmenfis,
 Nortlingana, Memmingana, Ratisbo-
 nensis, aliæque plures Cænobiis vim
 inferrent, redditus Ecclesiasticos & be-
 neficia raperent, eorum Possessores eji-
 cerent,

Sæc. XVII. cerent, ac contra postremum pacis Re-
 A. C. 1620. ligiosæ articulum Catholicos intra ur-
 bis mœnia omni Religionis suæ usu pa-
 lam interdicerent, eosque ad amplecten-
 dam Lutheri sectam cogèrent. Inde
 factum fuisse ajebant, ut Infantes Ba-
 ptismo, adulti matrimonio, aliorum-
 que Sacramentorum administratione,
 ægroti sacro subsidio, cives ab officiis
 & dignitatibus, ac fideles ab Ecclesia-
 rum accessu per armatos etiam sate-
 lites excluderentur, imo civitates etiam
 fidem Catholicam acerrime propugnantes,
 præcipue Coloniensis & Argenti-
 nensis a Lutheranis ad defectionem
 sollicitarentur.

§. XLIII.

*Ferdinandi II. Cæsaris edictum de re-
 situendis bonis Ecclesiasticis post
 Passaviensem transactionem
 ereptis promulgatum.*

Lotich. rer. Postquam igitur Ferdinandus Cæsar
 Germ. 1. c. hac super re præcipuorum Prince-
 Struven rum animos atque sententiam satis se-
 Hist. Grav. perque exploratam habuerat, hoc an-
 Imp. part. 1. no die sexta Martii per universum Im-
 c. 3. p. 68. perium super restitutione bonorum Ec-
 Gundl. disc. clesiasticorum post Passaviensem pacem
 super pac. ereptorum edictum, in quo etiam plu-
 West. cap. 3. re
 §. 47.

res articulos a Protestantibus in dubium **Sæc. XVII.**
 vocatos, ex ipso pacis Religiosæ te- **A. C. 1629.**
 nore decidit, promulgari iussit, hujus
*Nihil dubitamus, ad omnium in
 universum pervenisse notitiam, quibus sub
 oppido noxiis, & periculosis hæc Germa-
 nia, communis utique Patria nostra, a
 multo tempore fluctuarit procellis ac moti-
 bus: causam tantæ dissidentiae, & colli-
 sionis, inde usque ab initiis Religionis inje-
 cit discriminatio, illis præeuntibus usuve-
 nit, ut adversus tam Religionis, quam pa-
 cis publicæ transactionem, libidinatio in
 diversa spolia, perniciosasque machinationes
 desumpserit. Ut etiam hic ille ipse impe-
 tus omnis generis frigidis prætextibus,
 verborumque digladiationibus inanibus, su-
 per pace Religionis superinjectis colorari
 voluerit. Exinde tanquam a sentina pro-
 fluxit, posteaquam id genus pacis turba-
 tores causa cecidissent, jamque ob præva-
 ricationes suas subverterentur, ne gravio-
 rem tandem sententiam exspectare necesse
 esset, ut, excussis legum habenis, ac re-
 pagulis, denique Judicem pati detrecta-
 rent, saltemque in hoc incumberent, quo
 pars læsa sub colore compositionis, præ-
 tenses illas suas penitus ejurare tene-
 retur. Hujus ad scopi consecutionem,
 tanquam cogere vellent, initio res novas
 agitare, variaque in sædera clancularia
 ire ceperunt: mox palam emerfit Unio-
 nis*

Sæc. XVII. nis axioma: Usque dum insurgentibus
 A. C. 1629. intra Bohemiam rebellionibus, in alia,
 magisque suspecta fœdera cum externis
 magnatibus, ipsoque Turco transitum est,
 donec uniuersa patria hanc in catastro-
 phen, hæc ad tropica devoluta est, unci
 vix emergere sustinet, tametsi vero hæc
 superimpedens calamitas diu ante notari
 cœpisset, ut etiam de remedio deliberatum
 sit, nihilominus causæ intervenire arduæ,
 quas ob auxilium differri contigit. Nam-
 que sub anno millesimo quingentesimo quin-
 quagesimo nono Avus noster Ferdinandus
 Imperator, ubi tum primum adversus Re-
 ligionis pacem querela, non admodum con-
 cinnæ, emerisset, inspectionem causæ illius
 ad Cameram Spirensensem remisit, cum au-
 tem hæc via minus arideret Protestantibus,
 decisionem ab ipsomet Imperatore ur-
 gere non destiterunt: sed sub hoc adjecto
 iudicio, non paucas e querelis illis usque
 adeo evidentes, & manifesti juris esse, ut
 vel perfunctorie e nudo Pacificationis Re-
 ligiosæ contextu illico decidi queant. Et
 hæc quidem sive generalis, sive perfuncto-
 ria decisio sub insequentibus comitiis, præ-
 sertim anno millesimo quingentesimo quin-
 dragesimo nono urgeri cœpta est, sed quia
 tum quoque gravissimæ in Turcos expre-
 ditiones moras injicerent, sententiam de-
 nuo extrahi contigit. Nihilominus Antec-
 cessores nostri, ne causæ periclitaretur
 interiu

interim parti læsæ viam juris aperuerunt. Sæc. XVII.

Ut tam apud aulam cæsaream, quam Cameram Spirensē, ex lege pacificationis Religiosæ, jure experiri possent. Sed neque illa ordinaria juris via Protestantibus, sive Correspondentibus, placere voluit. Ut sub anno millesimo sexcentesimo decimo tertio denique novam querelarum catenam retexentes, etiam Imperatoris illam primitus petitam decisionem repudiarent, imo alium insuper amicæ compositionis modum proponerent. Hæc spes ubi decolasset, Mathiam Imperatorem eousque super aperienda compositionis dicæta fatigarunt, donec consensum illius impetrarent: posteaquam autem Catholicorum Ordinum gravamina legitima penitus ad animum admisisset, intellexissetque, illos neque a Pacificationis Religiosæ codicillis, neque juribus suis acquisitis, aut recedere posse, aut velle, ut cum jure prævaleant, transigere haud quieti sint, reclamante Pacificationis illius diplomate, Cæsar hoc remediū genus tanquam ultimum, ac si quidem conclamatum, repudiare cepit. Ut, cum ista via graviores in labyrinthos inducere satageret, deinceps intermitteretur. Nec defuere e numero Protestantium, qui ipsi affirmarent, absque consensu alterius partis, nempe Catholicorum, compositionis effectum sperari posse nullum. Unde tandem secundum Catholicos, Saxonie Elector, & Hassia

Sæc. XVII. sic Darmstatinæ Landgravius, Cæsari ob
 A. C. 1629. tores fuerunt, pateretur, Cæsarium super-
 riorum imitatione, ex officio Cæsario ius-
 ta Imperii constitutiones, litibus ac gra-
 minibus mederi.

Quam in rem cum in animum officii Cæsari nostri rationem revocemus, ac de cogitemus, quo pacto tantum non Imperii hostibus obviam euntes patriam pacem, sed etiam diversis pacis Religiosæ emergentibus interpretamentis, ne imperii Ordines acerbius inter sese committantur, præcaverimus, utique hanc declarationem præsertim, in pacificatione tam Religiosa, quam profana fundatam, diutius suspendere, neque extrahere non sustinimus. Maxima cum ab Electoribus nuper apud Müllhausen congregatis, admoneri nos contigerit, illud curæ, atque in oculis esset, quo, reductione melioris confidentiæ, gravaminibus illis, secundum constitutiones Imperii, tabula que pacis Religiosæ, & propinqua in puncto & terminis, ut vocant, submissionis, decisio locum haberet, nemoque ordinibus oneraretur. Accedit, ipsorum Protestantes professos fuisse, gravamina illius generis minime videri nova, sed toties repetita. Ut & illos, quorum interest, sufficientes audiri contigerit; ut insuper pridem sub annum millesimum quingentesimum septuagesimum sextum Maximilianus Imperatori conceptis verbis indicarint, hanc quidem

quidem opus esse, unius vel alterius, ut *Sæc. XVII.*
 partis consensus accedat, ut in Imperatoris, *A. C. 1629.*
 tanquam Imperii Capitis, absoluta hæc ver-
 tantur potestate: illius igitur Officii Cæsa-
 rei hic interesse, illud omne, quod ad tol-
 lendam e medio dissidentiam, noxamque per-
 tinere, juxtaque Superioribus Imperii sta-
 tutis congruere, videbitur, providere. Et
 sic quidem a Protestantibus sub anno mil-
 lesimo quingentesimo quinquagesimo nono
 Ferdinandus Cæsar interpellari, urgerique
 cæpit, verbis illis conceptissimis: ita qui-
 dem cum gravaminibus comparatum esse,
 hæc ut absque difficultate, e nudo Pacifi-
 cationis Religiosæ contextu decidi ament.

Tametsi igitur nobis nihil gratius ac-
 cidere potuisset, quam ut quibuscunque illis
 difficultatibus Cæsarea hac decisione nostra
 satisfacere liceat: nihilominus monente su-
 pra Collegio Electorali ad ista potissimum
 respiciendum venit gravamina, super qui-
 bus, intuitu submissionis, ut vocant, scru-
 pulus restaret nullus: atque hujus quidem
 notæ illa sunt, qualia vel absque ulla juris
 submissione, luculentis Religiosæ Pacifica-
 tionis literis continentur. Tum, quorum
 decisio ad reproducendam pacem universa-
 lem, potissimum est necessaria, de ceteris,
 quod restat, sic quidem est, ut proxima qua-
 que opportunitate satisfieri debeat.

Secundum hæc, adversus tam imperii,
 quam Religiosæ pacificationis leges, odio-
 sa,

Sæc. XVII. *sa, an otisa, movetur controversia. Utrum*
A. C. 1629. *id genus Episcopatus, Monasteria, & Præ-*
sulatus sub jurisdictione Principum, ordinumque posita, sub pace Religionis con-
tineantur. Et utrum illis, quibus con-
petit jurisdictio territorii, competere possit
liceatque juxta, simul atque Præsulatus ter-
ritorios invadere, Religionem mutare, bonas
Ecclesiastica, sua pro libidinatione, aut
in usus convertere?

Ad hæcæ interrogationes, & quod non
liceat Præsulatus, tametsi imperio immedi-
ate haud subiectos, sic quidem invadere
negative respondetur, ex ipsis pacis Reli-
giosæ tabulis, in quibus disertissimis ver-
is cautum est, Augustanæ Confessionis Statuta
antiquam Catholicam Religionem propo-
ntes, tam Ecclesiasticos, quam Sæculares
tam qua Religionem, fidem, & ceremonias
quam Capitula & redditus nullo factis
barent, tametsi usuveniat, Præsules Sedes
& familiam alio transtulisse, jam ver-
Pacificacionis illius non ad illos Episcopos
tus, ac Monasteria tantum, cujusmodi
Imperium immediate spectant, restringuntur
sed ad istos simul atque Præsulatus, &
jurisdictione Protestantium sitos, exten-
da venire, hoc Imperii acta, ac Protestan-
la loquuntur. Ut ex ipso Pacificacionis
legatæ contextu clarius esse queat nihil,
enim verba habent: Etiam Præsulibus
tametsi extra territorii fines sedes

ac familiam alentibus, nihilominus eo Sæc. XVII.
e territorio redditus pendendos esse. A. C. 1629.

Maxime vero idem vel exinde dilucescit, dum simul atque cautum est, ne suspensio jurisdictionis Catholicorum in Protestantes quicquam Ecclesiasticorum Electorum, Principum, & Ordinum, itemque Collegiorum, & Cœnobiorum, sive proventibus, sive redditibus, sive iuribus aliis quibuscunque derogaret. Hic enim idem, quod imperii Ordinibus tributum, Collegiis, cœnobiisque tribuitur. Ut omnino hoc statutum cum recessibus imperii anno millesimo quingentesimo quadragésimo quarto coincidat, tum quoque Pacificationis articuli alio loco evincunt, ut, dum illi Episcopatus, & Monasteria, quæ immediate ab imperio dependent, ab istis, qualia intra aliorum territoria habentur, separantur, unumquodque eo loco, atque ordine, quæ quidem ante transactionem Passavinam fuisset, jam & deinceps maneret, deque eo infestari non deberet.

Ex quibus perspicuum evadit, eos Episcopatus & Cœnobia, mediate ad imperium pertinentia, & post pacem Religiosam intercepta, a Protestantibus nullo jure sibi vindicari, Religionemque mutari, sustineri. Monstrent igitur sive locum, sive articulum intra Religiosæ Pacificationis paginas, extantem, quo Protestantibus, ut
Præ-

Sæc. XVII. *Præfulatus & Cænobia, ad se rapiantur*
 A. C. 1629. *indulgetur.*

Proinde, si tam secundum Canonica quam civiles leges, pacisque publicæ sanctiones judicandum fuerit, nemini permittitur, alterius bona ut diripiat: Tanto abest, ut bonis Ecclesiasticis vim inferat, cujusmodi soli Deo & Ecclesie juxta constitutionis Canonem, debentur. Unde, si alio ex articulo fit manifestum, bona Ecclesiastica tametsi intra jurisdictionem Protestantium sita, ad illos haud quaquam stare. Neque obstat vel hoc: dum Pacificatione Religiosa continetur, Protestantes neque in sua confessione, ceremoniis, ritibusque Ecclesiasticis, tam in finibus jam natis, quam deinceps introducendis, impediendos esse. Ergone illis, quod nonnulli prætendunt, licet in cænobia jurisdictioni suæ subjicere, grassari, Religionem innovare? tametsi etiam id genus Monasteria quoad respectum sæcularem, Domino territorii obsecundarent, nihilominus inde in res Ecclesiasticas illis Dominium non permittitur, sicut neque hoc quidem sequitur, nempe Pacificationem Religiosam inter imperii Ordines exiisse: ergo id genus Collegiis Cænobiis, jus processus, quod vocantur, denegandum esse. Cui enim obscurum foret, Præfulatus & Monasteria, sub aliorum Principum, Ordinumque territorii

ta, nihilominus una cum ceteris Catholicis *Sæc. XVII.*
 Imperii Ordinibus inclusive sub Religionis *A. C. 1629.*
 pacificatione contineri, atque ob id in posses-
 sionibus suis turbanda non esse.

Pari passu per hoc Imperium notorium
 extat, nonnullos e Protestantibus adversus
 ipsa Religiosæ Pacificationis verba deli-
 quisse, quibus evidenter cautum est: si ac-
 cidat Archiepiscopum, Episcopum,
 Præsulemque, aut alium ex Ordinibus
 Ecclesiasticis quemcunque, ab antiqua
 hac Religione Catholica nostra rece-
 dere, tum ille simul atque Archiepi-
 scopatum, Episcopatum, Præsulatum-
 que, unacum redditibus quibuscunque,
 eadem opera, absque ulla tergiver-
 satione resignaret, absque eo tamen, ut
 honoribus illud suis fraudi esse debeat.
 Jam, quis ignorat, plures post ejuratam
 Religionem Catholicam, modo non Episco-
 patus, Præsulatusque unacum redditibus,
 hucusque detinuisse, sed etiam aliis insuper,
 qui nunquam Ecclesiastici fuerunt, ad hos
 Episcopatus, Præsulatusque aditum præ-
 buisse? Et ne in tanta luce absque prætextu
 agerent, color hic illis quaesitus est: nempe
 præsentem articulum Pacis Religiosæ
 particulam non esse, siquidem eam in
 conditionem nuaquam promississent.

Cum hoc autem articulo (quem vocant
 reservatum Ecclesiasticum) sic quidem
 est comparatum: nempe pax Religiosa, in-
 ter

Sæc. XVII. *ter utriusque Religionis Electores, ac Principes, præeunte voluntate, & electione*
A. C. 1629. *berrima, pacta, conclusaque est, ut*
religiosis jurisjurandi verbis, ab omni
compromissum tum fuerit, hanc pacifi-
cationem secundum omnes clausulas rata-
sanctamque fore, ut sic antecessores
stros, nosque ipsos sub Electionis ac
ronationis Capitulationibus, ad hanc
ligionis pacificationem absque ulla re-
vatione astringi usuvenerit.

Præterea, Imperii acta, sive Adver-
ria super pacis Religiosæ tractatione,
perhibent, nimirum super hoc articulo
institis inter Catholicos & Protestan-
magna fuisse dissidia, ita ut Protestan-
tes hanc clausulam promittere repug-
rint, sed cum ex adverso recepissent
tholici, fore, ut istius universam paci-
cationis tractationem annihilarent, anti-
quam ab hac essent recessuri clausula,
ctum, ut Protestantes moderationem
gantes, adjectis aliis cautelis hunc rig-
rem frangere conarentur. Nempe sup-
eo puncto, utrinque natas esse discor-
sententias, itaque illis, quicumque hac
deinceps ab Episcopatibus decessuri essent
nota non inureretur, neque invidiosum
aut inhonorificum foret. Ut etiam pro-
sens reservatum futuris super Religio-
negotio transactionibus derogare posset
nil: has in conditiones consensit tum

dinandus Imperator, factumque, hoc ut Sæc. XVII.
 reservatum in Pacificationis codicillos re- A. C. 1629.
 ferretur, atque absque ullius contradi-
 ctione publicaretur. Tametsi ergo, inse-
 quenti anno millesimo quingentesimo quin-
 quagesimo sexto, ut Et anno millesimo
 quingentesimo quinquagesimo septimo, item-
 que millesimo quingentesimo quinquagesimo
 nono Protestantibus in mentem venisset,
 per viam Protestationis contravenire velle;
 nihilominus pacis Religiosæ tanquam sub
 juramento confirmatæ legi fundamentali,
 nihil derogavit.

Eo enim jus Catholicis acquisitum in-
 fringi amplius haud potuit: Ut neque Fer-
 dinandus, neque Maximilianus, neque Ru-
 dolphus Imperatores quantumvis a Prote-
 stantibus toties interpellati, rogatique in
 rescissionem superioris Clausulæ permoveri,
 pertrahique potuerint.

Ex quibus omnibus causa nobis sup-
 peditatur ampla, Antecessorum nostrorum
 placitis, ac decretis, ut inhæreamus. Dum,
 quibus illa fundamentis nituntur, ex prio-
 ribus actis, literisque ipsis pro se loquen-
 tibus innotescit. Et sic quidem Prote-
 stantibus ansa nulla datur, ut solidas ra-
 tiones protestando objicere possint, præ-
 fertim, cum hæc clausula neque honoribus,
 neque conscientia illorum imponere sata-
 gat. Super samæ enim Et honoribus
 conservandis ipsimet præcaverunt; ut con-
 scien-

Sæc. XVII. *scientiæ magis prospectum sit. Nam*
A. C. 1629. *tra super eo fundari cœpit Religio, tan-*
quam hoc necessarium foret, unusquisque
ut Episcopatus redditusque hæreditarios possi-
dere, ac possidere debeat. Neque illa verò
reservato Ecclesiastico inserta, quæ de
loquuntur, utriusque Religionis status
per ea clausula concordare non potuisse
litant. Obstat enim, ac præponderat, ma-
nifeste tam utriusque Religionis Statuum
compromissio, quam pacis Religiosæ
juramento facta totius illius transactionis
confirmatio. Sic usuenit, ut eapropter
quod partibus non conveniret, hic articulus
ad Ferdinandi Imperatoris decisionem re-
jectus sit, qui cum sententiam dixisset, pos-
tesque desuper, ut vocant, submississent, a
decisio abhinc Religionis Pacificationi in-
serta est. Ut porro tanquam lex & con-
stitutio imperii ab omnibus imperii Statibus
confirmata, publicataque sit.

Denique illud quoque opponi velle videtur:
Etiam subditos Imperii Statuum sub pace
Religionis contineri, neque diversæ confessionis respectu exter-
nari posse. Quo nomine sequentem allegamus
articulum, sic, inter ceteros habentem.

Si quis subditus, Religionis causâ emigrare,
alibique sedem figere velit, ei hæc emigratio,
bonorumque immobilium venditio, sub tolerabili recogni-
tione citra contradictionem liceat.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

Sed altioris illud, quod sequitur, est indaginis; particularius enim Protestantes pro subditis, apud Ferdinandum Imperatorem sub sine comitorum anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto inter-
 venerunt; pateretur Cæsar sub decreto publicare, subditos illos Confessioni Augustanae additos, sub Magistratibus Catholicis absque Religionis suæ impedimentis tolerandos esse. Verum enim vero Imperator super hoc articulo, acta pacis Religiosæ excutere jussit, invenitque ab initiis quidem hunc canonem acerrime ventilari contigisse. Ut Protestantes seriis verbis contenderint, subditis, etiam sub Catholicis Statibus insolentibus, exercitium Confessioni Augustanae sartum, tectumque servandum esse. Ut hæc clausula postliminio pacificationi illi inferenda foret. At, tantum absuit, ut Catholici hoc ratum haberent, ut citius, si subditis suis hoc permittere debeant, totius transactionis negotium ejurare velle, præferrent.

Nihilominus Protestantibus conscientiarum libertatem instanter urgentibus, tandem Catholici hoc largiri cæperunt, nimirum: liceret eo fine subditis libere emigrare, ita accidit, ut missa hac clausula transigeretur, prout hodieque Religionis Pacificatio loquitur, imo vero, usque eo curiosa cum sedulitate hic articulus ventilari cæpit, ut diu super eo disceptatum sit. Quo-
 Hist. Eccles. Tom. LIX. K usque

Sæc. XVII. usque tandem ordo Equestrum, quos
 A. C. 1629. cant exemptos civitatesque Imperiales

hanc pacificationis Religiosæ clausulam
 missi sunt, id quod minime factum fuisset op-
 si absque eo alias subditi omnes, ac singuli
 Religionis privilegio gauderent; proinde
 subditis Religionis exercendæ facultas nulla
 sed ejus loco jus emigrandi obtigit. Et
 maxime Religionis exercendæ libertas sub-
 ditis tum quidem fuisset indulta, quid cau-
 sæ esset, ut Protestantes hanc immunitatem
 postliminio sub decreto ab Imperatore con-
 gitarent? id quod decretum, cum neque in
 pacis Religiosæ Canones contineatur, ne-
 unquam Cameræ Spirensi intimari coepit,
 neque superiores Imperatores, tametsi
 tibus rogati, paci Religiosæ inserere
 sint, neque Catholici Status (quod paci-
 cationi Religiosæ hæc derogaret) admitti
 voluerint: proinde, sic quidem est, ut
 quoque ratione decreti allegati, saltim
 cere, ac pacis Religiosæ Canones transire
 nec possimus quidem.

Ex illis nunc ordine deductis tribus
 titulis Cardinalibus, hisce in præsentiam
 decernimus ac declaramus: primum, ca-
 sam Protestantibus esse nullam, de eo
 querendi, vel gravamina allegandi, in
 ordinibus Ecclesiasticis, imperio meo
 subiectis, super interceptis bonis Eccle-
 cis, vel apud aulam nostram Cæsarem
 vel Cameram Spirensi, quiritantibus

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

juris & processus aperitur, immo & sententia & executio indulgetur, potius est, ut, ex adverso Status Catholici jure querantur, causamque ordinum Catholicorum ad imperium mediate spectantium foveant, dam illis Cænobia, & bona Ecclesiastica, tempore transactionis Passaviensis, vel postmodum possessa adversus pacem Religiosam intercipiuntur. Ut desuper, tanquam pacis Religiosæ essent exules, omnibus juribus priventur, bona vero e diametro tam contra fundatoris intentionem, quam pacis Religiosæ Canones, proprio motu, vique injecta distrahantur.

Pro secundo articulo, pari tenore pronuntiamus, Protestantes non habere, ut jure conquerantur, suæ Religionis socios, Episcopatus, sive Præsulatus imperio immediate subjectos, jam tum tenentes, sive deinceps sectantes, a Catholicis statibus pro Episcopis & Præsulibus, non haberi, nedum, sub imperii Comitibus jus Sessionis ac Suffragii, mereri, ut etiam tam Regalibus, quam feudis excidant. E contrario, Catholici, intuitu reservati illius Ecclesiastici jure, meritoque, quiritium fidem, ut ajunt, implorant, nempe indignum esse, ut Episcopi ac Præsules, a Catholica Religione recedentes, nihilominus Episcopatus ac Præsulatus detineant, juraque ac privilegia, dum Catholici essent, quæsitæ, sine missione continuent, ac sic quoque Imperii Status nomi-

Sæc. XVII. A. C. 1629. nominari velint, quibus accedit, istos in
per, qui neque Catholici, neque Ecclesi-
fici fuissent, nihilominus in Episcopatus
Præsulatusque sese intrudere, id quod qui-
dem nihil esset aliud, nisi ut cum tempo-
quantum in ipsis est, & universus ordo Ec-
clesiasticus & una Religio Catholica pa-
passu subvertatur, atque e medio tollatur.

Sub Articulo tertio, quorundam Or-
dinum Protestantium gravamina pondus
suo destitui deprehendimus, dum hoc præ-
tenditur, tanquam Catholicis Ordinibus
non liceret suis sub territoriis subditos
ad Religionem adigere, aut, præeunte legi-
ac recognitione exterminare, aut citius
ne ad exercitia Augustanæ Confessionis
ris obeunda excurrant, inhibere, cum Pro-
testantibus e contrario hæc essent licita,
ita se res habet, ut Catholici merito con-
querantur, sibi quoad Religionem propriam
sub territoriis leges præscribi, subditos
hoc pacto a Magistratu ad defectionem
licitari velle. Atque hoc ipsum gravamen
ex partibus Catholicorum eo urgentius
dum Protestantibus velut persuasum fore
tanquam inter Catholicos & Protestantes
diversissima interveniret juris ratio,
dum Protestantibus subditos ad Religionem
adigere, ac refractarios eliminare, licet
idem Catholicis non liceret.

Quibus cum nunc gravamina potius
satis sint declarata, indicatumque,

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

in medio extet, utra pars jure, ac merito
conqueri sustineat, proinde hoc ad Came-
ram Imperialem spectat mandatum nostrum,
deinceps super hac præsentî declaratione no-
stra, si id genus casus accidant, cujusmodi
hac super decisione continentur, citra ullam
disceptationem jus dicerent. Et si quidem
spolia, ac turbationes, nempe Episcopa-
tum, sive Præsulatum occupationes, ad-
versus Canones pacis Religiosæ, pluribus
sub locis, essent manifestissimæ, ut ex nul-
lis aliis legibus, jurisque Regulis, quam
pacis Religiosæ paginis, aliorumque comi-
tionum decretis, absque controversia decisio
peti debeat, ut magis parti læsæ realis exe-
cutio debeat. Hac de re, pro pacis tam
Religiosæ, quam præsanæ, conservatione
stat sententia, Cæsareos nostros Legatos
proxime per imperium dimittere, Et id
genus Archiepiscopatus, Episcopatus, Præ-
sulatus, Cænobia, aliaque bona Ecclesia-
stica, quæ vel temporibus induciarum,
transactionisque Passavinæ, vel post, sub
manibus Catholicorum fuissent illegitimo
more intercepta, a detentoribus repetere
velle, quo sic immisissis personis idoneis fun-
datorum institutis satisfieri, Et unicuique
jus suum ex aquo citra circuitus, constare
possit.

Quo loco etiam hoc quoque statuimus,
ac decernimus, nempe sæpe numero allega-
tam illam Religionis pacificationem, anti-
quam

Sæc. XVII. A. C. 1629 quam Catholicam Religionem profitentur, festæ
 juxtaque Confessionis Augustanæ incorruptæ, omni
 nostroque Antecessori Carolo V. nibus
 Imperatori oblatae, len
 axioma tenentes tandem
 concernere, ut sedæ omnes reliquæ, aut
 nunc nascentes, aut porro prorupturæ, duci
 hac transactione omnino, ac penitus, essent
 exclusivissimæ, neque ullo pacto toleranda. Urb

Proinde ad omnes Romani Imperii E-
 lectores, Principes, Ordinesque, tam Ec-
 clestasticos, quam sæculares præsens hoc
 spectat mandatum sub pœna Religio-
 nis, quam publicæ pacis, nollent huic edicto
 repugnare, sed potius per Provincias suas
 sine tergiversatione, illud in effectum deduc-
 erent, pari opera Legatis nostris Confe-
 reis auxilio essent, illis vero, quicumque
 genus Archiepiscopatus, Episcopatus, Præ-
 sulatus, Cænobia, aliaque bona Ecclesie-
 stica demorantur, ut quamprimum ab im-
 jus Cæsarei edicti intimatione ad petitionem
 Legatorum Cæsareorum, Archiepiscopatus,
 Episcopatus, Præsulatus, itemque Monas-
 teria, & cetera ejus generis bona Ecclesie-
 stica unacum redditibus, & pulvisculo ab-
 que recalcitrantione, tradant, autores acci-
 derent. Quod si contingat, illos huic
 dicto non esse audientes, ac tardos, som-
 nolentosque, tum pœnam pacis Religio-
 diplomate contentam, necnon proscriptionis
 fulmen illis debetur, ita ut, citra ullam
 aliam sententiam, damnationemque, mani-
 festæ

festæ hujus inobedientie causa, ipso facto, **Sæc. XVII.**
 omnibus privilegiis, juribus, ac concessio- **A. C. 1629.**
 nibus, privandi veniant. Ut etiam rea-
 lem executionem quamprimum in actum de-
 ducere nobis sit conclusissimum.

§. XLIV.

Urbani VIII. Epistola ad Ferdinan-
 dum Cæsarem super promulgato
 hoc edicto.

Jam dudum Urbanus VIII. Papa per
 Apostolicos Nuntios suos de Cæsa-
 ris, Electorumque proposito certior er-
 rat redditus, quamprimum vero hoc
 edictum in Imperio Romano fuisse pro-
 mulgatum inaudierat, confestim ad Fer-
 dinandum Imperatorem has dedit li-
 teras: *Charissime in Christo fli noster,*
Salutem & Apostolicam benedictionem: fre-
quentia præbes & Principibus exempla vir-
tutum, & Ecclesiæ argumenta consolatio-
nis: inter gaudia, quorum ferax hoc tem-
pore nobis fuit Germania, mira quidem
jucunditate animum nostrum implevit nup-
erum Majestatis tuæ edictum, quo jubentur
Sectarii veterem possessionem dimittere Ec-
clesiasticorum bonorum, Ordini Sacerdo-
tali, & in quo continentur aliquæ declara-
tiones (quibus benedicimus) quarum vi a-
moventur obstacula, quæ Catholicæ Reli-
gionis instauracionem hæctenus retardarunt.

K 4

Hæc

Sæc. XVII. *Hæc in Consistorio Secreto a nobis relatæ
A. C. 1629. libenter audita fuerunt, & meriti plangit
tue pietati dati sunt ab Apostolico Senat
cupiente, tam piæ liberalitatis præmia
victorias, hinc noverit Hæresis, portas
ferri non prævalere adversus Ecclesiam
quam adeo feliciter propugnant Legion
Angelorum, & arma Austriacæ potent
Quam vero arcte Pontificis animum tibi
strinxeris, Venerabilis Frater Archiep
scopus Thessalonicensis Nuntius nosser
lentius declarabit Majestati tue, cui ha
laudum accessionem gratulamur, atque Ap
stolicam benedictionem amantissime imp
timur. Datum Romæ apud sanctam Ma
riam Majorem sub Annulo Piscatoris
quinta Maji anno millesimo sexcentesimo
gesimo nono Pontificatus nostri sexto.*

§. XLV.

*Saxonicæ Electoris oppositio ad
sus hoc Cæsaris edictum.*

Lotish. l. c. **P**ostquam hujus edicti notitia ad Jo
nis Georgii Saxonicæ Electoris aur
pervenerat, mox die vigesima octava
Aprilis, quominus hoc edictum
ceptare valeret, datis ad Cæsarem
teris exposuit, & primo quidem, qu
hoc edictum in Cæsaris, ejusque fam
liæ detrimentum cedere videretur.
Lites circa Religionem ex commu

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

tam Catholicorum quam Protestantium Sæc. XVII.
 consensu in publicis Imperii comitiis A. C. 1629.
 annis prioribus fuissent compositæ, si
 ergo nihilominus lites desuper fuerunt
 nunc exortæ, ex sensu minus claro pa-
 cis Religiosæ provenisse necesse esset:
 ageretur ergo de hujus pacis inter-
 pretatione, hanc vero Cæsar absque
 omnium Ordinum consensu facere non
 potuerit; quod enim ad omnes spectat,
 & omnium consensu factum, id etiam
 omnium judicio & sententia explican-
 dum, non vero sub forma universalis
 edicti definiendum esset. III. Hic mo-
 dus procedendi rebus adhuc turbatis
 animos exasperet, jura Ordinum Im-
 perii, sine quorum consensu extra co-
 mitia ejusmodi decisiones fieri nequive-
 rant, violet. IV. Ferdinandus I. du-
 bia circa Religiosam pacem non ipse
 in suo Consilio deciderit, sed ad Ca-
 meram Imperialem remiserit, hujus
 vero auctoritatem Protestantes vene-
 rati non sint, eoquod sicut pax Reli-
 giosa in publicis comitiis, & communi
 omnium suffragio sancita fuit, ita &
 dubia eodem modo decidi deberent.
 V. In tribus articulis a Cæsare in suo
 edicto definitis Protestantes sese nun-
 quam submiserint. Hæc circa *proce-*
dendi modum opponebat Elector, quan-
 tum *ad merita causæ* exposuit. I. Quod
 K 5 Pro-

Sæc. XVII. Protestantes in suis territoriis Episcopatus, cœnobiaz &c. reformandi jus
 A. C. 1629. non minus ac Catholici in suis ditionibus habere, ex Imperii actionibus liceat. II. Circa Monasteria Imperio mediate subjecta olim Cameræ Assessorum quidem dubitassent, ac decisionem frustra petiissent, imo querentibus ad idum præbuisent, mox autem suam sententiam revocassent. III. Quæstio an Ordinibus Monasticis super pace Religiosa lites movere liceat, tam acriter fuerit agitata, ut Electores necessarium duxerint, annuente Cæsare acta a Camera Imperiali avocare, & in comitiis Electorali Collegio ad revidendum committere, demum vero Cæsari desuper referre; tum vero Protestantes monuerint, quod hic articulus pacis Religiosæ interpretationem, ac ejusmodi exigeret declarationem, quæ non a solo Cæsare, sed omnibus Ordinibus fieret; inde vero pateat, IV. quod tam Electores quam ceteri Protestantes valde gravati fuerint, eo quod ipsis neglectis ejusmodi interpretatio, decisio, & sententia ad solas Catholicorum querelas per modum edicti universalis facta fuisset, & juxta hanc definitionem deinceps sententia dici deberet. V. Hac re inter partes adhuc controversa, ac ipsis Imperatoribus sententiam suam hucusque defu-

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

desuper ferre recusantibus, Protestan-
tes a sexaginta annorum possessione ci-
tra ordinarium processum dejici non pos-
sent, minus vero ab executione inci-
piendum foret. VI. Prædecessores Im-
peratores ejusmodi lites non per re-
scripta deciderint, sed communem
compositionem consciis etiam Catho-
licis obtulerint, cui inhærendum fuis-
set, Catholici autem ejusmodi com-
positionem non acceptarint. Postre-
mo Elector Cæsarem rursus monebat,
quatenus ad evitandas novas Imperii
turbas gloriosis Majorum exemplis in-
sistens, edictum suspendat, & arduum
hoc negotium ad publica Imperii reji-
ciat comitia, in quibus Catholici, si-
mulque Protestantes audiri possent,
discussa que caussa conveniens reme-
dium inveniri valeret.

§. XLVI.

*Cæsaris responsum ad Saxonix Ele-
ctoris rationes.*

Perlectis hinc Saxonix Electoris lite-
ris Cæsar haud satis mirari poterat,
a Protestantibus obtendi, quod Cæsar
ad præcipiendam rei alienæ restitutionem
ipso jure naturali debitam, nulloque
etiam diutissimæ possessionis titulo infir-
mandam usurpatorum consensum ad-
hibere

*Theatr. Eu-
rop. tom. 2.
pag. 13.
Lotich. l. 6.*

Sæc. XVII. hibernere teneretur, quem tamen confes-
 A. C. 1629. sum ipsimet Protestantibus nunquam re-
 quirebant, nec requisivissent, quod
 Cæsar per aliquod edictum Catholicis
 præceperat, sique præcepisset, ut boni
 Protestantibus post pacem Religiosam
 erepta restituant, vel ab eorum vexa-
 tionibus abstineant. Eapropter Cæsar
 suis Consiliariis mandavit, ut singulis
 Saxonis rationes resellerent. Hi ergo
 præprimis responderunt, quod omni-
 circa procedendi modum allata jamjam
 in gravaminum consultatione fuerim
 agitata, atque ad quæstionem: *An Cæ-
 sar sine communi Ordinum consensu valeat
 propria auctoritate gravamina deciden-
 affirmando responsum, multis argu-
 mentis comprobatum, atque ab ipso
 Electorali Collegio ratum fuerit habi-
 tum, eoquod in casu præsentis non age-
 tur de potestate novam ferendi legem
 Imperii, sed de justitia administranda
 seu legis jam latæ executione, ac juxta
 hanc legem gravaminum abolitionem.*
 Hanc vero potestatem (non novam con-
 dendi vel interpretandi pacem Religio-
 sam) sed in Religionis causa eos, qui
 cunque adversus Religiosam pacem la-
 derentur, ex ipsis disertis clarisque
 hujus pacis verbis ab injuriis vindic-
 candi decidendique auctoritatem Cæ-
 sari ex suprema Imperii Majestate com-
 petere

petere, ipsimet Protestantes fateri cogantur, & clare Imperii recessus sub anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo sexto demonstraret. Quod autem tam Catholici, quam Protestantes sese tribus illis gravaminum decisionibus submiserint, testentur Imperii acta in edicto allegata, & Bavariæ Electoris literæ hoc anno die secunda Maji ad Saxonem datæ. Ipse quoque Saxonix Electoralis Administrator in sua epistola super interceptis bonis Ecclesiasticis die decima quinta Septembris anno 1601. scripta affirmet, uti in Pacis Religiosæ Appendice etiam asseritur, quod in hac causa Cæsaris auctoritas excludi non valeat, sed ab eo & omnium Ordinum consensu dependeat, quinimo Electorales Saxonix Consiliarii anno 1608. die decima quarta Julii Fulda responderint, in recessu Imperii de anno 1550. clare expressum esse, ne postmodum ulla Ecclesiasticorum bona interciperentur.

Oblatam vero compositionem ideo a Catholicis non fuisse acceptatam reponerent, eo quod sub nova transactione periculum suæ causæ accersere, atque extra pacis Religiosæ limites abire, inconsultum fuisset, ubi pro illis clara ejusdem pacis verba de Catholicis

Sæc. XVII.
A.C. 1629.

Sæc. XVII. licis in bonorum possessione deinceps
 A. C. 1629. non turbandis militaverant.

Ad ea vero, quæ Elector *de merito*
causæ objectabat, circa Cænobia me-
 diate Imperio subjecta responderunt
 Cæsaris Consilarii, quod jam ante
 hæc omnia fuerint confutata, ac de-
 super ab universo Electorali Collegio
 decretum sit promulgatum: Protestan-
 tibus vero Principibus reformandi jus
 quidem æque competat, sed duntaxat
 in *sibi subjectos*, Episcopatus autem
 Cænobia, aliaque Ecclesiastica bona
 non a Magistratu sæculari, sed ab ejus-
 dem Ecclesia, ejusque Magistratu depen-
 deant: Quamvis vero Assessores Camer-
 ales in causa Cænobiorum fors in
 comitiis Anni 1566. sui dubii decisio-
 nem non obtinuissent, illam tamen eo-
 dem adhuc anno teste Leonardo (*)
 Schuch Lutherano in Spirensi Consti-
 tutione impetrarint, ubi decisum, quod
 si deinceps Camerales *super dubio intel-*
lectu articuli decisivi in ordinatione, vel et-
tiam in ceteris Imperii constitutionibus in
plano consilio inter se convenirent, tunc
 hoc ex legis præscripto ad Cæsarem
 & Ordines per Electorem Moguntinum
 referrent, ac prius Cæsarem interpel-
 larent, ejusque declarationem præsto-
 larent.

(*) In Append. Archiv. fol. 75.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

arentur: super pace vero Religiosa Cæ-
nobiis ac Religiosis exteris jus proces-
suum competere, ex tot Cameralium
suffragiis, atque & ipsis clarissimis Re-
ligiosæ pacis terminis constare respon-
derunt Consilarii. His denique adde-
bant, quod Cæsar quidem plurimi ha-
beat Saxonis amicitiam, potior tamen
illi sit justitiæ ratio, nunquam tamen
Cæsari in mentem venerit, Evangeli-
cos velle extirpare, neque etiam edi-
ctum suum eo collimare, ut Saxo Epi-
scopatibus ab antiquo possessis inaudi-
ta causa spoliaretur, sed potius, ut e-
jus causa separaretur, & hoc ob præ-
clara ab eo præstita obsequia: cum
ergo anno hujus sæculi vigesimo Cæ-
sar datam Saxoni securitatem ratam
habere intenderet, sic vicissim Elector,
sicut ipse & ejus Prædecessores immo-
tam pacis Religiosæ observantiam pol-
liciti sunt, pro Germana sua fide exe-
cutionem edicti impedire nolit: de
cetero autem Cæsar conventum Electo-
ribus maxime auspiciatum, cui ipse
interesset, indicere velit.

§. XLVII.

*Instructio edicti executoribus a Cæ-
sare data.*

Post

Sæc. XVII. Post hæc Ferdinandus Cæsar ad or-
 A. C. 1629. nes Imperii Circulos pro exequen-
 do restitutionis edicto tres emisit Le-
Lotich. l. 25. gatos, quorum unus ex Principum
pag. 631. alter Comitum, tertius Equitum & Li-
 teratorum Ordine erant: His in man-
 datis datum, ut Episcopos & Religio-
 sos convocarent, & ab eis, quæ ab-
 lata fuissent, requirerent, postquam
 vero de læso eorum jure certi fuerint,
 etiam usurpatores adesse juberent, at-
 que ab illis Cæsaris nomine singula pos-
 sessa Passaviensem pacem ablata repeterent,
 suisque legitimis Dominis restituerent.
 Si vero sat luculenter id probatum non
 esset, interim Episcopi idoneos Eccle-
 siasticos in dubii juris possessionem im-
 mittant: Legati autem prætenso præ-
 scriptionis titulo, vitiosum possessionis
 initium, rei alienæ possessionem ad-
 versus Dominorum querelis turbatam, pa-
 cis Religiosæ interdictum, & Cæsaris
 edicti auctoritatem opponerent. Si ve-
 ro emptionis titulum obtendant, tum
 illis obiicerent, quod Ecclesiastici bo-
 na sacra sine Ecclesiæ consensu validè
 alienare nequiverint. Si vero circa hæc
 bona litem vel in Spirensi Camera, vel
 Aula Cæsarea pendere asserant, illis
 edicti decisionem obstare demonstrant,
 necnon ad publica Imperii comitia con-
 troversiam rejicientibus supremam hæc

in causa Cæsaris auctoritatem Electo- Sæc. XVII.
 ralis Collegii consensu firmatam oppo- A. C. 1629.
 nerent. Si vero rei difficultas, vel o-
 ritori motus timor ac periculum immi-
 neat, mox rem ad Cæsaris Aulam de-
 ferrent, vel Cæsarei aut foederati exer-
 citus opem implorarent; econtrario
 autem ultro restitutionem offerentibus
 omnium perceptorum fructuum com-
 pensationem condonarent, refractariis
 vero eandem severa ex lege injunge-
 rent. Circa Cathedralis, & Collegia-
 tas Ecclesias, usque ad Pontificis de-
 clarationem nihil innovarent, interim
 vero hisce bonis idonei Ecclesiastici suf-
 ficerentur. Data hac instructione Cæ-
 sar ad Cæsariensis, Oxenhusani & Wein-
 gartenis Abbatum preces bona Bene-
 dictinis & Cisterciensibus erepta restitui
 iussit, pollicitus tam his, quam Præ-
 monstratenlibus, quod ipsis inauditis
 vel in eorum præjudicium circa hæc
 bona nihil decernere, immutare vel
 transferre velit.

§. XLVIII.

*Litteræ Ferdinandi II. Imperatoris ad
 Oratorem suum Principem Sabel-
 lium de restitutione Mona-
 steriorum.*

Sæc. 4 VII.
A. C. 1629.

Præterea Ferdinandus Imperator Ortorem suum Principem Sabellium Romæ existentem hortabatur, ne Ecclesias & Monasteria aliis, quam quibus dicata fuere, in commendam dari vel pensionibus gravari permitteret, ac propterea ad eundem has literas dedit Imperator:

„Tam ex literis, quam diversorum
„aliorum rationibus cognoveritis expressam mentis nostræ resolutionem esse, Monasteria, & loca sacra e manibus & potestate Adversariorum, vel armis nostris Cæsareis, vel Juris vi recuperata citra cujusquam respectum rursus ordinibus, quibus dicata, & a Fundatoribus consecrata sint, & non aliis restituere, & consignare &c. Moment nos ad hoc graves, ac non levis momenti rationes: animadvertimus enim, quod pleræque & penes omnes Nationis Germanicæ fundationes, Collegia, Monasteria, aliaque loca sacra & religiosa, ab antiquis Romanis Imperatoribus, Regibus, Principibus, Comitibus, atque aliis utriusque sexus fidelibus in honorem Dei, suam, suorumque hæredum memoriam, & animarum salutem ad certos pios usus, Anniversaria, & quotidianas Eleemosynas pauperum, cum comminatione perpetuæ damnationis

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

„& gehennæ ignis, qui contra faxit,
 „fundata, dotata, & tam a Romanis
 „Pontificibus, quam præcedentibus
 „nostris Imperatoribus, & Regibus,
 „ac nobis denique ipsis confirmata sint;
 „quodque coram Deo vix & difficulter
 „exculari queat, si similes in jure Di-
 „vino stabilitæ foundationes contra fun-
 „datorum mentem, & institutum alio
 „convertantur, & applicentur, prout
 „& in jure Communi salubriter ordina-
 „tum, & cautum, ne defunctorum ul-
 „timæ voluntates, & Dispositiones ul-
 „atenus mutantur, sed in statu suo
 „inviolabiliter relinquuntur. Accedit,
 „quod hujusmodi Monasteria, & loca
 „sacra vel Romanis Imperatoribus,
 „sacroque Imperio, vel aliis Principi-
 „bus, ac statibus Imperii ratione Ad-
 „vocatiæ, Protectionis, Collectarum,
 „aliorumque temporalium Jurium ea-
 „tenus affecta & obnoxia sint, ut abs-
 „que eorundem, ad quos ratione tem-
 „poralitatæ spectant, consilio & assen-
 „su, & citra magnam confusionem, ac
 „mutilationem eorum mutatio vix su-
 „scipi, ac institui, multo minus libera
 „super iisdem dispositio Sedi Aposto-
 „licæ permitti queat; atque eadem
 „prorsus est ratio Monasteriorum Mo-
 „nialium, cum per se notum sit, quo
 „in pretio a Deo Optimo Maximo sta-
 „tus

Sæc. XVII. „tus Virginitatis habeatur, quam cui
 A. C. 1629. „que Imperii statui, & Ordini curæ sit
 „ut similia in eorundem Territoriis sit
 „Monasteria in primæva & antiqua fun-
 „datione conseruentur, ubi Virgines
 „Deo consecratæ Vocationi suæ vac-
 „re, statum perfectionis assequi, & que-
 „rum Filiæ Imperatorum, Regum,
 „magnorumque Principum, quin & de-
 „infinis, quas Deus elegit, aspirare
 „possint. Nec minus nos movet, quod
 „si quem Monasteriorum Patronum, ac
 „Fundatorem, ejusque Hæredes ad
 „paupertatem & inopiam redigi con-
 „tingeret, tali casu necessaria alimenta
 „ibidem ipsis ministrari debeant, quod-
 „que eorum Hæredes & Propinqui
 „liberam eo divertendi facultatem, &
 „accessum habeant, peregrinantes pas-
 „sim, & itinerantes hospitaliter susci-
 „pantur, ac tractentur, & Indigent-
 „bus largæ passim Eleemosynæ distri-
 „buantur, quæ omnia hospitalitati
 „Jura & beneficia cessatura essent,
 „Monasteria illa in alios usus converti
 „Ordinariis in Commendas, Pension-
 „bus gravari, aut prorsus Episcoporum
 „mensis applicari, & incorporari con-
 „tingeret &c. Accedit, quod hujus
 „modi mutationes quoque Concordati-
 „Germaniæ repugnent, proin in effectum
 „& ad praxin ullo modo revocari ne-
 „queant.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

„queant, quandoquidem Imperii con-
 „stitutiones, Transactio Passaviensis,
 „Pax Religionis, & Cæsareum nostrum
 „nuper publicatum Edictum restituo-
 „nem ipsis Ordinibus faciendam ex-
 „presse statuunt, & si restitutio ea non
 „Ordinibus, sed aliis fieri deberet, ad-
 „versarii nostri Acatholici pro sua per-
 „tinacia haudquaquam memorata Mo-
 „nasteria, ac bona Ecclesiæ dimissuri,
 „aut aliis ad ulteriorem dispositionem
 „renuntiaturi, quin imo nec in mini-
 „mo a constitutione Pacis Religiosæ,
 „& super fundati Edicti nostri liberali
 „intellectu recessuri sint, quod optimam
 „intentionem nostram non parum quo-
 „que sifteret, & difficiliorem redderet.
 „Denique nec illud leve censendum,
 „si antiquas Fundatorum dispositiones
 „facile interverti, & in alium usum una
 „cum eorum & Hæredum memoriæ
 „abolitione transferri contingeret, quod
 „non solum Hæreticis, sed & Catho-
 „licis ipsis magnæ offensiones & Scan-
 „dala præberentur, multique iis rerum
 „Deo, certisque ordinibus dicatarum
 „interversioribus deterriti ab id genus
 „piis foundationibus abstinerent &c.
 „Hæc itaque, & similes rationes cum
 „Edictum, ac resolutionem nostram Cæ-
 „saream de Monasteriis ac bonis Eccle-
 „siasticis, ordinibus suis, ac non aliis
 „resti-

Sæc. XVII. „restituendis magis, magisque stab
 A. C. 1629. „liant, vobis clementer ac distric
 „committimus, ut quascunque mach
 „nationes in contrarium tendentes
 „quantum in vobis est, solícite avert
 „tis, & diligenter advigiletis, ne ull
 „isthic sub Edicto nostro comprehen
 „Monasteria, Ecclesiæ, loca sacra, au
 „bona inde dependentia a Sanctitat
 „sua vel motu proprio, vel ad imper
 „tunam aliorum instantiam, ac sinistra
 „informationem aliis, vel in coner
 „dam concedantur, vel mensis Episc
 „palibus applicentur, vel præten
 „bus graventur, vel alteri Ordini, quam
 „cui dicata sint, sub prætextu major
 „boni concedantur, aut quocunque tur
 „dem modo in Ordinariorum præjud
 „cium ad alios usus convertantur, au
 „quidquam denique, quod resolutio
 „nostræ Cæsareæ contrariari possit, ab
 „tuatur. Illud enim permittere, a
 „dissimulanter ferre, uti nec in con
 „scientia possumus, nec de Jure debet
 „mus, ita nec de intentione hac nos
 „aliter, ubi necessum, attestari vol
 „mus, confidimus hæc, uti gravissim
 „quæque spectatæ fidei nostræ ac Vig
 „lantia, in qua acquiescimus, gra
 „tiamque nostram Benevolentissimo
 „bis affectu offerimus. Datam Vien

„die vigesima quinta Octobris Anno Sæc. XVII.
 „Christi millesimo sexcentesimo vige- A.C. 1629.
 „simo nono. „

FERDINANDUS &c.

Divulgata hac Cæsaris epistola mox
 desuper duorum Theologorum judi-
 cium super translatione Monasteriorum ad
 Societatem Jesu, typis impressum pro-
 diit, in quo hi in has literas invec-
 ti Cæsarem, quod Monasteria &c. non
 aliis, sed suis quæque Ordinibus, pro
 quibus fundata fuerant, restitui voluit,
 redarguere præsumperunt, declaran-
 tes, quod Cæsar æque ac summus
 Pontifex hoc rerum statu non modo sine
 ulla iniustitia aut peccato, sed cum summa
 etiam laude & maximo apud Deum merito
 possit, & cum aliunde commoda & suffi-
 cientia media desint, sub gravi etiam obli-
 gatione in conscientia teneatur, ut ex bonis
 Ecclesiasticis & Monasteriis recuperatis Se-
 minaria, Academia, Gymnasia, Scholæ,
 Collegia item ac domicilia quamplurima
 Reverendorum Patrum Societatis Jesu,
 quos hoc tempore ad propagationem fidei
 Catholicæ, & hæreses depellendas singulari
 Dei providentia peculiariter missos experi-
 mur, in quibusvis Germanicæ partibus in-
 stituat, fundat, ac dotet. Nec deerant
 hisce Suasoribus fautores, atque inter

Sæc. XVII. eos præcipue potens quidam Germaniæ Episcopus, qui quædam Monasteria præfatis Patribus attribuere moliebatur, quo comperto iterato Cæsar Sabellium Oratorem suum jussit, ut his conatibus Romæ obsisteret, non modo die decima quarta Aprilis, sed maxime undecima die Decembris datis ad eundem his literis: *Literis nostris die 25 Octobris datis mentem vobis & enixam voluntatem nostram de Monasteriis & locis sacris, Ordinibus suis, & non aliis reguendis perscripsimus, & quid hac in parte a vobis isthic fieri velimus, uberius explicavimus, sui pro solita vestra Nobis obsequendi promptitudinæ constanter inhaerendum, & si quid in contrarium per modum innovationis, commendæ, aut alia via directæ vel oblique nomine Episcopi N. aut aliorum quorumcunque isthic prætenderetur nulla ratione eidem suffragabimini, sed potius dictarum literarum nostrarum vigorem vos opponetis, in reliquo ubi memorati Episcopi commodis & ornamentis augendis pro vos & autoritas vestra prodesse poterit, eam libenter, prout literis vestris decembris datis innuitis, impendatis curavimus. Et etiam nostram Cæsaream magis promerituri.*

Defensio pro S. C. Majoribus, ejusque instruct. su-

Divulgabatur insuper anno sequenti defensio contra horum Theologorum, ubi Author demonstratum

quod ante & absque Societatis Aca-
 demijs, scholis & Collegijs solida hæ-
 reticorum conversio facta fuerit, nec
 ad hanc alieni usurpatio necessaria sit:
 cum autem hi duo Theologi in suo ju-
 dicio polliciti essent, Monasterijs in So-
 cietatem translatis, *Catholicam religio-
 nem & pietatem in Germania paucis annis
 restitutum iri*, Author opposuit, quod
 Jesuitarum laboribus non semper pro-
 missus fructus responderit, cum ipsimet
 falli sint, quod Memingæ quadriennio
 exacto ne unum quidem hæreticum lu-
 crati sint, atque in Palatinatu errati-
 cas illas animas a Jesuitis ita abhor-
 ruerint, ut ne aures quidem concio-
 nantibus præbere dignati sint, & ipse-
 met Maximilianus Bavarix Elector fas-
 sus fuerit, in Palatinatu universim Mo-
 nachos Benedictinos effecisse, quod
 Jesuitæ improbo labore non potuere:
 cives quoque Nabburgenses & Reichen-
 bacenses, quibus Societatis Patres sur-
 dis diu canebant, Benedictinis e Mon-
 te S. Andæ post inductis, suam con-
 versionem in acceptis retulerint: Ipsi
 etiam Jesuitæ confessi fuerint, nuper-
 rime Augustæ Vindelicorum e trecen-
 tis, qui hæresin ejurarunt, vix duo-
 decim industriæ horum Patrum deberi,
 atque etiamnum tardam esse conversio-
 nem hæreticorum in Bohemia, Austria,
 L 5 Mora-

Sæc. XVII.
 A. C. 1629.

*per imped.
 Fund. mu-
 tat. contra
 Judicium
 &c.*

Sæc. XVII. Moravia, Styria &c. etsi ibidem
 A. C. 1629. dudum Collegia, Gymnasia &c. fuerint
 exstructa, imo & Viennæ fructus fere nullum tulerint, eo quod eorum congressum hæretici horrore quodam declinarint, econtra autem hoc anno Curix Rhætorum Metropoli quidam Præmonstratensis Canonicus pene innumeros ad veram fidem reduxit, parique messis ubertate Canonici Regulares S. Augustini, Benedictini ad S. Udalricum, Franciscani, alique Augustæ Vindelicorum & alibi laborarunt, aliunde vero conversiones potissime hoc rerum statu potius armis Cæsareis quam Societatis industriæ debeantur, & Jesuitarum quidam libere confessi fuerit in suis literis Augusta datis, nihil profuturos, nisi prius auctoritate Cæsarea Prædicantes proscribantur. Addit insuper Auctor, quod si Jesuitæ deinceps plura Monasteria capere cogitent, Fundatorum quoque menti satisficiant, sibi que dictum meminerint: *Psallite Deo nostro, Psallite &c.* Postremo ratione Cæsareas, quas hi duo Theologi impugnabant, tanquam æquissimas defendit. Hujus quoque argumenti alius quidam vulgatus est liber, cujus epigraphæ: *De Monasteriorum de hæreticorum recuperatorum translatione disceptatio.* Cur autem hi duo Theologi Cæsaris am-

mum ad eorum vota flecti desperarent, Sæc. XVII.
 mox alium edidere librum sub hoc ti- A. C. 1629.
 tulo: *Animadversiones in caussa bonorum*
Ecclesiasticorum & Monasteriorum extin-
ditorum Germaniæ, in quibus summo
 Pontifici suasum est, ut hæc bona, de-
 nec Papa (forte eis magis tunc propi-
 tius) de iis disposuerit, in seque-
 strum accipi præciperet.

§. XLIX.

Cæsarei edicti executio Augustæ
inchoata.

Jam anno priori a Cæsareis Deputatis Acta Evan-
 Augustæ Vindellicorum in ablata gel. civ.
 Ecclesiasticorum bona, necnon Luthe- Aug. p. 148.
 rani Ministerii, Regiminisque Politici
 corruptelas inquisitum est: Die autem
 vigesima sexta Julii Leopoldus Austriæ
 Dux, necnon Joannes Conradus a Gem-
 mingin Constantiensis Episcopus Cæsa-
 ris Deputati referebant, quod I. vio-
 lata Caroli V. Constitutione (*) in Re-
 gimine Politico Lutherani auctoritate
 & numero prævalerent. II. Augustani
 Prædicantes, ut impune ab Augu-
 stana Confessione Carolo V. exhibita re-
 cedere, hacque via Imperatori & Catho-
 liqui

(*) De Anno 1548. 3. Aug. & 7. Julii an-
 no 1549.

Sæc. XVII. tholicis illudere possent, Concordia
A. C. 1629. Formulam acceptarint, pluresque alii
 non modo Religioni Catholicæ, sed
 Augustanæ Confessioni contrarias, et
 que in eadem non contentas doctrinam
 adoptarint, & etiamnum sibi liberum
 de fidei articulis iudicium sub Divina
 verbi obtentu arrogarent. III. Apo-
 statae, ac exteri Lutherani exclusis
 aliis Catholicis jure civitatis donaren-
 tur. IV. Hospitaliis &c. potissimum
 Lutherani præficerentur, ac veteres
 fundationes a Catholicis factæ etiam
 Lutheranis, qui cum Catholicis per-
 mixti ibidem degunt, adjudicarentur.
 V. Ecclesiarum proventus per Luthera-
 nos præcipue administrarentur. VI.
 Denique Ecclesiarum SS. Mauriti, Ste-
 phani, Udalrici, Agnetis, S. Crucis
 S. Georgii, Jacobi, Wolfgangi, Ser-
 vatii, & Sebastiani, necnon Mosaite-
 riorum, Nosocomiorum &c. restitutio
 per præfensam Ottonianæ protestatio-
 nis nullitatem eluderetur. Perceptis
 hisce Ferdinandus Imperator die octa-
 va Martii hoc anno datis non modo ad
 Leopoldum, sed & ad Magistratum
 Augustanum literis præcepit I. ut citra
 Regimen Politicum religiose De-
 cretis Caroli V. insistatur, necnon re-
 cens creati Patritii Schellenbergius
 Mayus, Wanner, Wagnerus, Sittig
 hult

husanus, Kellerus, Schillerus, Fesen-Sæc. XVII.
 maierus, Zechus a Teibach, Majerus, A. C. 1629.
 Holzapffel, necnon Bartholomæi Kel-
 leri, Bechleri & Matthioli hæredes
 pro re nata ad publica Reipublicæ mu-
 nia promoveantur. II. Bona Ecclesia-
 stica, quæ vi pacti inter Ottonem
 Truchesium Cardinalem & Senatum
 Augustanum anno millesimo quingen-
 tesimo quadragesimo octavo erecti, &
 octogesimo secundo confirmati, sine ul-
 lo dubio restitui, ac Catholicis denuo
 vindicari debuissent, quantocius resti-
 tuantur, ea vero, quæ inter partes
 adhuc controversa sunt, aut amica
 transactione componantur, aut Cæsa-
 reæ decisioni relinquuntur, interim
 vero idoneis Personis Ecclesiasticis in
 sequestrum tradantur. III. Deinceps
 nullus sectæ in Imperio vetitæ addictus
 civitatis jure donetur, ii vero, qui ad
 Catholicam redeunt fidem, omnino
 admittantur. IV. In Leprodochio, &
 Nosocomiis Catholici a Lutheranis se-
 paratim vivant, & Catholicis plenus
 Religionis suæ usus restituatur, ac
 in Orphanotrophiis Orphani & ex-
 positi infantes in fide Catholica enu-
 triantur, necnon ejusmodi piis locis
 Catholici præficiantur, & denique jux-
 ta veterum Fundatorum mentem ea
 loca in usum Catholicorum cedantur.
 V. Ci-

Sæc. XVII. V. Cives a Magistratu novis oneribus
A. C. 1629. non graventur, hi vero, qui librorum
 inspectioni præsumunt, exactius suo im-
 gilent muneri.

§. L.

*Cæsaris consultatio de Othonis Car-
 dinalis & Episcopi Augustani
 protestatione & pacto cum
 Augustana civitate.*

Quamvis Imperator in omnibus ceteris
 Imperii Ordinibus non nisi salu-
 tate Religionis suum edictum executioni
 dari præcepisset, alia tamen diversa
 que ratio in urbe Augustana non modo
 bonorum Ecclesiasticorum restituti-
 onem, sed ipsum etiam Lutheranae se-
 ctæ usum interdicti postulabat; præter
 quam enim, quod hæc Urbs Confessione
 Augustanæ Carolo V. exhibitæ non subscri-
 pserit, nec eidem adhæserit, insu-
 per illius possessio non modo per Ca-
 tholicorum oppositionem, sed per in-
 ductam Zwinglianorum sectam inter-
 turbata fuit: refertur quippe in ejus-
 dem Urbis Annalibus, quod ab anno
 1530. usque 48. Kellerus, Bucerus,
 & Musculus Zwingliani Præcones jux-
 ta sectam suam concionati sint, ac ipse
 met Senatus Sixtum Betuleium Zwing-
 lianum Gymnasio ad S. Annam præfe-
 cerit.

cerit, suosque Alumnos studiorum Sæc. XVII.
 caussa Basileam emiserit: Præterea an- A. C. 1629.
 te Passaviensem pacem Confessionis Au-
 gustanæ exercitium interruptum fuerit,
 dum Urbs *interim* isti Catholico (ex-
 pulsis Zwinglianis Prædicantibus) sub-
 scripserat, prout ipsa Urbs in pacto in-
 ter se & Othonem Cardinalem inito
 fatetur; anno enim 1548. Otho Truch-
 fessius Cardinalis tum Episcopus Augu-
 stanus nomine totius Cleri, præsentem &
 confirmante Cæsare speciale pactum ac
 conventionem cum urbe Augustana fir-
 mavit, vi cuius injuste ejecti Clerici
 in urbem revocari, eis bona sua red-
 di, atque antiquo jure debita Eccle-
 siastica Jurisdictio in omnes Diæcesis
 suæ fideles præfato Episcopo, ejusque
 Ecclesiæ Cathedrali restitui & reservari
 cautum, sancitumque fuit: Huic in Ca-
 tholicorum favorem accessit, quod Urbs
 Augustana adversus restitutam Episcopi
 jurisdictionem in suas Ecclesias tum nul-
 latenus repugnarit, sed duntaxat circa
quasdam Ecclesias *Interim* sisco cultui de-
 stinatas in litis arbitros compromise-
 rit, ipsa autem Urbs eo ipso, quod
 Præcones Lutheranos rursus acceptan-
 do, ab *interim* recesserit, Zwinglianos
 Prædicantes revocarit, & Georgium
 Melhorn, eo quod Zwinglianis adhæ-
 rere reculasset, urbe expulerit, a com-
 pro-

Sæc. XVII. promisso destitit, proin Episcopi juramento
A. C. 1629. dictio per hanc oppositionem non fuerit
 interrupta. Postmodum anno quidem millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo transactio Passaviensis interfecta sit, ne autem Episcopus quovis pacto ab antiqua & agnita possessione juris reformandi per hanc pacem dejici posset, anno illius sæculi quinquagesimo quinto die vigesima tertia Martii in comitiis Augustanis præsens & ab absentibus Principibus una congregatis suam protestationem offerri voluerit, his verbis conceptam: *Nos Otho miseratione Divina S. R. E. Presbyter Cardinalis & Episcopus Augustanus, &c. fatemur ac declaramus hoc nostro Chirographo, quod omnem amatam pacem efficaciter promovemus & ex nostra parte fideliter servare, neque erga quemlibet hostile aliquid moliri velimus juxta hoc autem profiteremur ore & corde quod in propositis notulas, seu media Religionis, & quidquid ei adhæret in dogmatibus, jurisdictionibus, rebus ac personis multum vel parum consentire, neque possumus, neque volumus: sed speramus nos juramenti nostri vinculo, quod Pontifici Sanctitati, ac Romane Sedi & Cesaris Majestati, sacroque imperio præstitimus in omnibus punctis & articulis illæsos & inviolatos esse permansuros, ac potius quam contra hoc in aliquem tractatum consentiamus.*

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

sentiamus, corpus & quidquid in terris habemus, constanter derelinquemus, idque coram Deo & toto mundo expresse reservatum nobis volumus, quod in juramenti nostri vinculo, ut constans Christianus & natus Germanus usque ad mortem perseverabimus. Actum Augustæ in Palatio nostro Episcopali die vigesima tertia Maji anno 1555.

Hujus ergo Episcopi pacto & protestatione firmatus Henricus V. Episcopus Augustanus Cæsarem impensius rogabat, ut insuperhabita pace Religiosa, illum in immota possessione Ecclesiasticæ suæ Jurisdictionis tueri vellet. Verum Imperator Electorali Collegio hanc quæstionem maturius examinandam proposuit: *cujus conditionis sit Othonis Episcopi pactum cum Urbe anno 1548. & 82. a Cæsare confirmatum circa Ecclesiasticam Jurisdictionem, & an speciale hoc pactum per subsequentem pacem Religiosam non fuerit sublatum, proin Ecclesiastica juridictio ibidem asserta moderno Episcopo ita sit reservata, ut insuperhabita præfata pace, alioque pacto inter Senatus & Protestantes anno 1584. inchoata Catholicæ reformationis negotium urgeri valeat?* Hac quæstione ab Imperii Electoribus diu ac mature discussa responsum est, quod Othonis Episcopi pactum adhucdum in suo persistat vigore, & quidem l. *Hist. Eccles. Tom. LIX.* M quia

Sæc. XVII. quia pacta antecedentia specialiter cum
 A. C. 1629. particulari Imperii statu inita per un-
versalem transactionem subsequenter
 sine speciali mentione non enerventur
 ipsomet Electore Saxonico in epist.
 Elect. Moguntinum querente, quod pa-
 peram in dubium vocetur, an *ejusmodi*
particularia pacta conventa & a Cesaribus
confirmata post Religionis pacem valeant
& servanda sint? II. Quia Othonis pa-
 ctum denuo post Religionis pacem An-
 no 1582. fuit confirmatum, proin ante
 non sublatum: nec eidem etiam den-
 get pactum inter Senatum & Proteſtan-
 tes biennio post initum, eoquod hoc
 pacto inserta fuerit hæc clausula
ſalis: sine præjudicio tertii, proin
 inter duos acta tertio non noceret, pro-
 fertim cum Successores tacere con-
 fuerint, ne reliqua etiam bona perdes-
 di periculo sese exponerent. III. Ip-
 etiam Religiosa Pax non lites jam an-
 tea compositas, sed tum adhuc con-
 troverſias diremerit, Augustæ autem
 ante hanc pacem jam per hoc pactum
 lis de Episcopi jurisdictione & Eccle-
 siasticorum bonis dirempta & composi-
 ta fuerit. IV. Otho huic paci nunquam
 subscripserit, quantum ad ea, quæ
 dei & juribus Ecclesiasticis *ſuis* Dis-
 ciplinis repugnant. His igitur aliisq[ue]
 rationibus per Electores propositis la-
 per

perator die vigesima Julii ad Henricum Augustanum Episcopum, atque ejusdem Urbis Senatum literas dedit, eisdem significans, quod vi pacti initi & post pacem confirmati modernus Episcopus Augustanus hucusque *injuria temporum* impeditam executionem, atque Episcopalis jurisdictionis aliunde eidem ex jure competentis, quæque per pacem Religiosam eidem auferri non potuit, restitutionem propugnare, proin Confessionem Augustanam, novamque ejus doctrinam abrogare, & Catholicam religionem revocare, ac propagare, omni jure & æquitate valeat. In iisdem autem literis Imperator Magistratui Augustano insinuabat, quod hanc in rem Ferdinandam Curtium Baronem de Senftenau eo ablegarit, omnemque eidem opem auxiliumque pro perficiendo hoc negotio præstitum iri confideret.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

§. LI.

Saxonie Electoris literæ ad Cæsarem in favorem Lutheranorum civium Augustanorum.

Superioris ætatis monumenta testantur, quanto furore & violentia Protestantibus ab anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo sectam suam vix

Stengel.
comm. rer.
Aug. p. 2.
c. 65. & seq.
relat. Stat.
Aug. p. 105.

M 2

Sæc. XVII. tredecim annos natam Augustæ intrare, & Religionem Catholicam plusquam mille quingentis annis senem eliminare præsumperint, & septimo anno, crescente audacia Viros Ecclesiasticos primum disteriis, cachinnis & contumeliis lacefliverint, Catholicæ Tempia eripuerint, sacraria profanarint, Altaria spurcitiis macularint, Templis actus venereos palam exerceverint, Catholicos a Religionis suo exercitio violenter excluderint. Canonicos Cathedralis, Collegiatos, Regulares, Monachos, Moniales, atque universum Clerum e suis Ecclesiis, Monasteriis, ædibus, & urbe, accersitis Prædicantibus, expulerint. Tum vero ipsemet Imperator, omnesque Principes Catholici fidem Catholicam, & cuius tutelam omnes Principes sepe iuramento obstrinxerant, ab antiqua & pacifica sua possessione per tot sæcula continuata violenter dejici, & fidelium conscientiis vim inferri querebantur. Cæsar quoque Carolus V. edicto præcepit, ut prisca Ecclesiæ fides incuncta servaretur, donec in Concilio Oecumenico mox celebrando Religionis controversiæ ac dissidia componerentur. Verum Protestantes armorum potentia & felicitate tumidi ad æquissima Cæsaris mandata, Principum

Vid. Præfat. tom. 33.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

ces, & Catholicorum gemitus occlu-
ferant aures: postquam vero Ferdinan-
dus II. Imperator victoriis clarus, fi-
dem, quæ iniqua vi, dolosisque arti-
bus eliminata fuit, revocari, necnon
iniquè ablata Ecclesiasticis bona resti-
tui petierat, mox omnes Protestantes
suis oppositionibus benevolas ubique
aures præberi petebant, sectamque
suam vi intrusam, & in possessione vix
octogenaria per extortos Imperii reces-
sus conservatam iniquo Cæsaris edicto
labelactari vociferabantur.

Nondum etiam de restituendis Ec-
clesiarum bonis Ferdinandi Cæsaris e-
dictum Augustæ erat promulgatum,
cum jamjam Joannes Georgius Saxo-
niæ Elector sola sectæ affinitate permo-
tus Augustanorum civium Lutherano-
rum patrocinium in se susciperet, ite-
rato die undecima Maji datis ad Cæsa-
rem literis, in quibus Confessionem Au-
gustanam ante pacem Religiosam Au-
gustæ susceptam affirmans, Othonis
Cardinalis pactum & protestationem e-
nervare frustra nitebatur: Edicto au-
tem Augustæ executioni dato, idem
Elector die vigesima secunda Augusti
ex iisdem rationibus, Lutheranis sectæ
exercitium & Ecclesias reddi, Præco-
nes suis officiis restitui petiit, haud
obscure insinuans, quod ex hac repulsa
M 3 sum-

Sæc. XVII. summum periculum, & supremæ etiam
 A. C. 1629. Majestatis ruina ac excidium oriri
 posset.

§. LII.

Restitutionis edictum Augustæ Vindelicorum executioni datum.

*Adam. Adam
 mi relat.
 Hist. Pac.
 Westph.
 p. 13. c. 1.
 relat. l. c.
 pag. 271i*

Cum autem urgens Dei & Ecclesie
 necessitas, causæ æquitas, ac spo-
 liatis sua restituendi, oppressosque Ca-
 tholicos sublevandi lex allatis Protes-
 tantium subterfugiis longe prævaleret
 Caesar utpote *Ecclesie Catholice Advo-
 catus* Ferdinandum Sigismundum Cur-
 tium Augustam Vindelicorum pro exe-
 quendo restitutionis edicto ablegabat
 Hic ergo die trigesima Julii Dilingam
 delatus, prima Augusti die, qua Ma-
 gistratus electio fieret, Augustam spe-
 venit, ac demandatæ suæ legationis
 causas Hieronymo de Imhof & Ber-
 nardo de Rechlinger Duumviris specta-
 tissimis exposuit: ne vero futuræ ele-
 ctionis libertatem sua præsentia im-
 nuere videretur, urbe excessit, edicti
 que executionem distulit, usque dum
 die quinta Augusti cives neo electi
 Magistratui fidem suam jurejurando ob-
 strinxissent. Vespere autem ejusdem
 diei Augustam reversus, diem octava-
 vam ejusdem Mensis executioni præ-
 fixit

etiam
 om
 fixit: interim vero Senatus consulto Sæc. XVII.
A. C. 1629.
 die septima Augusti per præconem pro-
 mulgari imperavit, ut sequenti die post
 matutinam concionem, quam Joannes
 Conradus Göbel Pastor Lutheranus ad
 S. Annam declamaverat, opifices, eo-
 rum famuli, mulieres ac foeminae cete-
 rique omnes ad Senatus munia non
 deputati intra parietes domesticos sese
 continerent, Ecclesiarum autem Cura-
 tores unacum Prædicantibus in Curia
 comparerent. Præstituta igitur die
 Curtius Cæsaris Legatus alloqui co-
 piam a Senatu petens, exposuit, quod
 Cæsar articulos quosdam juxta Depu-
 tatorum relationem deciderit, alios
 vero ulteriori deliberationi reservavit,
 nunc vero dubiis omnibus ex Electora-
 lis Collegii sententia dissolutis lucu-
 lenter comprobatum haberet, quod ni-
 hil officiente pace Religiosa, Episco-
 pus Augustanus ex antecedente pacto
 inter Othonem tum Episcopum &
 civitatem erecto, jurisdictionem Ec-
 clesiasticam in hanc civitatem & Diæ-
 cesin, ex antiquo sibi competentem
 semper inviolatam conservavit, ac vi-
 illius omne Religioni Catholicæ adver-
 sum exercitium abrogandi pleno jure
 gaudens, illoque uti paratus, a Cæ-
 sare, Catholicisque Ordinibus Augu-
 stanæ Confessionis exercitium in sua

Sæc. XVII. Diæcesi abrogari efflagitarit: Cum igitur
A. C. 1629. tur Cæsar, ut præfatus Præsul suam
 jurisdictionem exerceret, omnino velit, ac præcipiat, hinc Duumviri
 Senatus Augustanus hanc clementiam inirent, ni fors severiores executores non sine Cæsar's indignatione experiri mavelint. Ad hæc Hieronymus de Imhoff ex Duumviris Senior se ad Cæsar's obsequium esse paratissimum respondit, enixe tamen efflagitans, ut rem seorsim communibus sententiis Senatu expendere permetteretur: quo concesso, ac singulis prælecto Cæsar's mandato, ambo Duumviri ceteris promptam obtemperandi voluntatem persuadere, solo nonnihil repugnante Ottone Lauginger Consule Lutherano, qui nequidem interpellatus, ulteriorem edicti declarationem sibi fieri deprecatus, Duumviros rogabat, ut executionis dilationem exorare vellent, quam tamen si negaretur, rem Deo esse commendandam asserbat. Annuentibus igitur etiam Protestantibus, Duumviri hac in re Cæsari morem omnino esse gerendum pronuntiarunt, moxque Legato, qui paulisper secesserat, se pro veteri obsequendi studio Cæsar's mandati executionem promoturos spondebant. Postea Ecclesiarum Curatoribus & Prædicantibus adesse jussis, ex
 Duum

Duumviris Senior exposuit, Cæsaris Sæc. XVII.
 decisionem, quam in controversiam du- A.C. 1629.
 cere nefas foret, eo abire, ut omnes
 quatuordecim Præcones tam præsen-
 tes quam absentes clementer dimissi,
 suis deinceps muneribus abstinerent,
 clavesque Templorum redderent, qui-
 ve ex eis essent alienigenæ, se cum
 primis ad discessum ex urbe compara-
 rent, qui vero cives forent, communi
 vita contenti, nec publice nec privatim
 ullo sectæ exercitio fungerentur, si se-
 cus faxint, capitis pœnam daturi, id-
 que se executuros jurato sponderent.
 Ad hæc Joannes Conradus Göbelius
 Senior, ac Præco ad S. Annam, se
 Cæsaris edicto obsecuturos, ceterorum
 nomine respondit: ubi tamen mirum,
 quod nullus omnino in sui defensionem
 allegarit, quod eorum secta longe an-
 tiquior Catholica (*) per plura sæcula
 pacificam in urbe possessionem conti-
 nuarit, sed omnes jus & initium dur-
 taxat

M 5

taxat

(*) Ridicula ejusmodi ratio nonnisi paucos
 ante annos cuidam Prædicanti incidit, qui sub
 ficto nomine Jeremiæ Heracliti Christiani li-
 brum edidit sub hoc titulo: *Lutherus ante Lu-
 theranismum* oder die urälteste evangelische Wahr-
 heit aus Luthers Schriften, lucemque fugiens
 typi locum mentitus est: Cöln bey Theophi-
 lus Philadelphus.

Sæc. XVII taxat a recentissima Augustanæ Confessionis epocha & subsequētib; p̄ctis repetierint.

Altera die cives Lutherani Duum viros adibant, supplices, ut a Cæsarea Majestate obtinere satagerent, quatenus si eis integrum Ministerium, ac sectæ exercitium denegaretur, saltem quidam Diaconi, qui infantes Baptismo tingerent, & matrimoniis assisterent, remanere permetterentur: Verum Senatus ad hæc nullum dedit responsum, sed Prædicantes præfiteo juramento valere jussit, necnon Ludimagistris Lutheranis & Catechesi Catholicæ, aliisque id generis abrogatis, clausisque eorum Templis integrum Catholicæ Religionis exercitium relictui præcepit.

§. LIII.

*Alia Senatus Augustani decreta.**Relat. l. c.*

Quantumvis Prædicantes civesque Lutherani se Cæsaris mandato obtemperaturos jurato spondissent, nihilominus ex illis non pauci turbidissimi, temerarii ac petulantes homines mox se Cæsareæ dispositioni opposuere, Legatum Episcopum, Clerumque Augustanum convitiis, contumeliis, & dideris imo & petulantibus, deprædationum, rapinarum &

incendii minis, aliisque hostilitatibus infecti sunt, in hoc palam Evangelicæ doctrinæ adversantes, nec mansuetudinis exemplum imitantes, quod eis Catholici præbuerant, dum Episcopus cum quadraginta Canonicis suis, tres Prepositi cum suis Canonicis, Abbatissa cum Nobili suo Gynæceo, omnesque Clerici & Monachi anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo septimo die decima octava Januarii inter acerbissimas calumnias & sarcasmos ex urbe a Lutheranis eiectione fuere, quin isti unquam mala illata malis respondere, vel præter juris viam, aliud hostile regressus medium arripere cogitarint. Cognito autem factiosorum tumultu, Senatus die decima Augusti indictis etiam gravissimis pœnis ejusmodi petulantias inhibuit. Ne vero civibus ex imposita fidei Catholicæ amplectendi vel emigrandi lege querendi obtentus esset, Henricus Augustanus Episcopus die vigesima tertia Augusti datis literis Senatui significabat, nec Cæsaris nec suam esse mentem, ut Lutherani illico ad profitendam fidem Catholicam cogerentur, sed cuiusvis perpenso æternæ salutis suæ periculo sufficiens deliberandi tempus concederetur: Perlectis hisce literis Senatus die vigesima octava ejusdem

Men-

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

Lotich. rer.
Germ. l. 26.
c. I. § 8.
pag. 637.

Relat. &
acta p. 105.
125. 373.
380. & 391.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

Mensis promulgari iussit edictum, cuius singulis promissum est, fore, ut Lutheranorum nulli vis foret, spatio ad capessendam Catholicæ doctrinæ instructionem concessa, proin illi, quibus fidei causa alio migrare luberet, sine Senatus consensu res suas clam non amandarent: nihilominus Lutherani turmatim ad Ulmensēs & Oetinganos pro concionibus, sepulturis & Infantum Baptismis excurrerunt; hac vero insolentia Cæsaris mandato illudi, suisque juribus derogari indignatus Episcopus, Senatum adegit, ut prohibitis eiusmodi excursionibus Lutheranos ad Catholicorum conciones & catecheses frequentandas urgeret. Pariter Senatus affixo edicto inhibuit, ne cives & incolæ in popinis & plateis de Religionis negotio disputent, altercentur, vel matuis cachinis, diceriis &c. se invicem lacestant: simul etiam Lutheranis præcepit, ut omnes dies festos in Ecclesia Catholica præceptos celebrarent. Cum vero sprete legum severitate Lutherani quidam famulos & atrocissimos libellos contra Cæsarem, Senatum & Clerum spargere non erubescerent, hinc Senatus die vigesima septima Octobris statuit, præter impunitatem insuper quingentorum florentinorum pretium ei esse constituendum.

qui ejusmodi libelli famosi Authorem Sæc. XVII.
 detexerit. Sub idem tempus Senatui A. C. 1629.
 nuntiatum est, quod Lutherani insu-
 perhabito juramento Deo ac Magistra-
 tui præstito adversus Cæsaris edictum
 sæpius magno numero in variis locis
 clam convenerint, ibidemque eorum
 Præcones publice conciones & clande-
 stina consilia habuerint, necnon urbis
 satelliti, qui eisdem Senatus aucto-
 ritate ejusmodi cætus inhibuit, vim
 opponere ausi fuerint, hinc ad præca-
 vanda seditionum craentarum pericula
 die vigesima nona Novembris omnibus
 & singulis cujuscunque conditionis in-
 hibuit, ne in cæmeterio vel aliis ejus-
 modi locis conventicula cætusque pro-
 hibitos agerent, nec etiam funera can-
 tionibus prosequerentur, His ita fan-
 ctis Senatus die decima Novembris
 præcepit, ut juxta Cæsaris Caroli V.
 & Ferdinandi II. mandatum deinceps
 vacantia munia Catholicis aliunde ido-
 neis committantur, necnon veteres
 piæ foundationes, & Eleemosynæ juxta
 Fundatorum mentem in Catholicorum
 commodum impendantur. Die etiam
 undecima Göbelius cum aliis duobus
 Prædicantibus, qui cives non erant,
 urbe excedere jubebatur, ceteris in
 civitate remanere permissis.

§. LIV.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

§. LIV.

*Varii Protestantium motus contra
dicti executionem.*

*Lotich. l. c.
cap. 3.
Theatr. Eu-
rop. tom. 2.
pag. 31.
Adlxr. an-
nal. Boic.
part. 3. l. 14.*

Ineunte æstate Cæsaris Deputati Ka-
burium delati postulatis a Magistratibus
clavibus Præcones & Ludimagistros
officiis removerunt, cumque civium
potissimi Lutheranam sectam duntaxat
vel ex veræ fidei ignorantia, vel Præ-
conum suorum præstigiis, & præcon-
ceptis opinionibus veram esse crede-
rent, ex Cæsaris mandato a mensis
Aprili usque ad Pentecostes serias sin-
gulis diebus conciones & Catecheses
habebantur, quas Lutherani, ut le-
turpiter deceptos tandem intelligerent
indicta pecuniarum multa accedere,
qui vero usque ad S. Jacobi festum se-
ctæ suæ inhærere decreverint, emi-
grare jubebantur: Petebant insuper
Deputati, ut redditus, quos ab anno
Christi millesimo sexcentesimo ex ab-
latis Ecclesiarum bonis percepissent,
refunderent; ad hæc responderunt ci-
ves, quod quidem triginta septem flo-
renorum millia percepissent, ea vero
in usum rei publicæ, suarumque Ec-
clesiarum erogassent. Sub idem tem-
pus Cæsaris delegatus Argentinam ve-
nit, bonaque Ecclesiastica post Passa-
viam

vienſem pacem ablata reſtitui petiit: Senatus vero Baſilicam, ſeu principalem Eccleſiam, & ceteras Urbis ædes ſacras reddere detrectabat, falſo cauſſatus, eas a ſuis Majoribus pro Lutheranæ ſectæ fuiſſe fundatas: pollicebatur tamen, ſe cuncta extra urbem poſt præſatam pacem Epifcopo & Catholicis erepta reſtituturum. Incalſum etiam Maximilianus Bavariz Elector datis literis Argentinenſes ad Cæſaris obſequium revocare nitebatur; audacter enim eidem in reſponſis dedere, cauſſam hanc eſſe communem, proin ejus deciſionem ad Imperii comitia reſciendam; idem quoque Suevici Circuli Principes, Ordinesque Acatholici per Legatos ſuos a Cæſare exorabant, Suevicis autem & Franconicis Epifcopis ab eodem enixe petentibus, ne reſtitutionis dilatio concederetur, Cæſar hiſce Principibus reſpondit, quod bonorum Eccleſiaſticorum invaſio per pacem Paſſavienſem fuerit prohibita, proin ea, quæ certo mala fide poſſiderent, reſtituere non gravarentur, ſi vero aliqua poſt præſatam pacem bona fide poſſiderent, vel mala fide poſſidere, notorium non eſſet, executio locum non haberet: eapropter circa plurima cænobia, quæ a Würtembergicis Ducibus detinebantur, Cæſar ſuis Legatis reſcripſit,

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

Sæc. XVII. scripsit, ne hac in caussa præcipitante
A. C. 1629. agerent, sed acta diligenter excu-

rent, sique de iniqua eorum invasione certo constaret, edictum exequerentur, si vero desuper dubium vel controversia esset, tantisper supersederent, donec ejus rei decisionem ex Aula Cæsarea recepissent. Nihilominus Ludovicus Fridericus Wirtembergæ Ducis Constantiensem Episcopum tanquam Cæsaris Deputatum agnoscere recusabat, eoquod ad hoc judicium, cui ipse quoque res ageretur, eum minime idoneum fore censeret: verum Ducis responsum, rem non ad Episcopum, sed ad totum Ecclesiasticum Statum pertinere, in aliis quoque Imperii Circulis Episcopos pariter esse executionis Judices a Cæsare constitutos. Inchoata igitur edicti Cæsarei executione monasteria hujus Ducatus sat multata & opima Ecclesiæ fuere armis vindicata, eoquod Dux hæc ipsa cænobii impositis præsidiariis tutari niteretur. Pariter Ferdinando Archiepiscopo Electori Coloniensi civitates, arces, municipia, Monasteria, Pagi, aliaque bona, quæ post pacem pacisque articulum de reservato Ecclesiastico a Luneburgensi & Brunsvicensi Ducibus fuere erepta, Cameræ Spirensis sententia adjudicabantur, quantumvis

Udalricus Fridericus Brunsvicensis Dux Sæc. XVII.
 contra hanc sententiam insurgens, A.C. 1629.
 causam ex integro rursus examinari

petiisset. Die autem decima octava
 Decembris Fridlandus, Tillius, & Joannes
 ab Hagen Cæsaris Legati unacum
 Francisco Osnaburgensi Episcopo Archi-
 epi, necnon Ecclesiæ Cathedralis cla-
 ves reliquis quinque Catholicis Cano-
 nicis, necnon quatuor Ecclesias Col-
 legiatis & Cænobia legitimis suis Pos-
 sessoribus reddidere, Pseudo-Canoni-
 cis, qui violenter hæc bona usurpave-
 rant, proscriptis: Demum Ministris ac
 Præfectis deinceps Catholico Clero ob-
 temperare iussis, die vigesima prima
 ejusdem Mensis ex æde Beatæ Virgi-
 nis ad Ecclesiam Cathedralē solem-
 nis habebatur supplicatio, Legatisque
 præsentibus, & sacro solemnī peracto
 Hymnus Ambrosianus decantabatur,
 Catholicis summopere tripudiantibus,
 eoquod Evangelicam legem profitendi
 libertatem sibi per humana unius Apo-
 state commenta ereptam recuperassent.
 Eodem hoc anno Urbanus VIII. Pon-
 tifex Maximus Augusti Saxonix Du-
 cis electionem in Archiepiscopum Mag-
 deburgensem, utpote a Canonicis Pro-
 testantibus contra omne jus factam,
 omnino nullam declarabat, ipsumque
 Adolphum Holfatix Ducem eadem ex
 causam

Hist. Eccles. Tom. LIX.

N

caus-

Sæc. XVII. caussa ab Archiepiscopatus Bremensis
 A. C. 1629. administratione dejecit, & Leopoldum
 Guilielmum Austriæ Archiducem Pa-
 favientem Episcopum in utriusque Ar-
 chiepiscopatus Præsulem designavit
 quo facto Magdeburgi revocata Reli-
 gione Catholica, Trautmansdorffius
 Stralendorffius, necnon Lemmerman-
 nus & Weingartnerus Jesuitæ, Cæsa-
 ris Legati Bremensem Insulam cum
 omnibus annexis Leopoldo restitui ju-
 serunt. Pari ratione Ulmensibus in-
 dicta est restitutio usurpati cænobii
 Franciscanorum, necnon Parochiæ
 Wangenenfis. Ratisbonæ etiam con-
 tra Lindavienses, necnon Fuldæ con-
 tra Cassellanos ereptarum rerum sacra-
 rum restitutio urgebatur. Tum veri-
 quamplurimi, quos sincerum avitæ Re-
 ligionis Studium animaverat, admo-
 dum læti erant, non tam de recupera-
 to Ecclesiarum patrimonio, quam
 reddita vineam Domini ab aliquot
 abhinc annis errorum spinis & tribu-
 lis obsitam pristinæ ubertati, ani-
 masque misere delusas Deo, & Eccle-
 siæ restituendi occasione. Nonnulli
 vero nonnisi honoribus, ditionibus, &
 redditibus sacris augeri, atque ex his
 spoliis ditescere cupidi, contra Eccle-
 siæ, Cæsarisque mentem, fidei incre-
 ditum, animarumque salutem pe-

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

stremo habebant loco, hacque sua ambitione & avaritia spes tam lætas continuato successu destituebant. Validius autem reformationis feliciter cæptæ cursum sistere conati sunt Protestantes, ex quibus Georgius Hassiæ Landgravius die vigesima quarta Augusti, & Ludovicus Fridericus Wirtembergæ die vigesima nona ejusdem Mensis, & Wilhelmus Saxonix Dux die nona Septembris, necnon Francofordiensis, Norimbergensis & Ulmensis Senatus datis suis literis Joannem Georgium Saxonix Electorem fatigarunt, supplices, ut adversus edicti executionem Protestantes Augustanos protegeret. Insuper Protestantes Augustani Senatores die vigesima sexta Novembris Leopoldum Austriæ Archiducem literis suis interpellarunt, ut sua auctoritate Cæsarem eo induceret, quatenus hic reformatione, inquisitione, ac conscientix violentia eos ulterius torquere noluisset, sed *quantocius* cuncta in pristinum statum reduceret, hunc in finem ad eundem transmissere vindicias, in quibus quidem Passaviensis transactionis vim exaggerabant, nunquam tamen speciale Othonis Episcopi pactum per hanc pacem diserte irritatum fuisse, demonstrare poterant. Idem etiam die septima Decembris Duumviris & Senatori

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

toribus porrecto libello supplici expo-
suerunt, quod imminens Inquisitio, et
librorum inhibitio ac nimium præcipi-
tes decisiones eis nimis molestæ forent,
justamque querendi ansam haberent,
eoquod neglectis Lutheranis Catho-
lici ad publica promoverentur officia.
Ad has vero querelas Senatus die de-
cima quinta ejusdem Mensis respondit,
quod nihil hucusque præcipiti actum
esset consilio, nec ullus ad Religionem
Catholicam coactus, nullusque ex Ca-
tholicis, qui ejusmodi officiis indignus
esset, promotus fuerit, de cetero nec
Inquisitio nec librorum prohibitio
dummodo cives a Lutheranis concioni-
bus abstinerent, ac Cæsari morem ge-
rerent, timenda foret. Hoc responsum
haud contenti Protestantes, eadem die
expositis, quæ ex *flebili emigrationis*
beneficio orirentur, incommodis Sena-
tum rogarunt, ut a Cæsare, ejusque
Legatis *pleniorum causæ cognitionem* im-
petrarent. Verum Senatus die vigesima
ma secunda ejusdem Mensis querulam
hasce voces rejecit, declaravitque, non
Magistratus culpæ, sed Protestantium
pertinaciæ imputandum, si per turbu-
lentos eorum ausus graviora mala accer-
serentur. Demum die vigesima
Decembris Ecclesiarum Curatores Catho-
lici de Ecclesiasticorum bonorum

reditibus rationem reddere, a Senatu Sæc. XVII.
 jubebantur, qui etiam traditis suis A. C. 1629.
 computationibus petebant, ut pecu-
 niæ, Ecclesiæ ornatus & mobilia Ec-
 clesiis Lutheranorum relinquerentur,
 eoquod vel ex Gazophilaciis, vel ex
 Parochianorum liberalitate pro Divino
 Augustanæ Confessionis cultu fuissent
 corrogata. Postulabant insuper, ut
 ulterius suis officiis fungi permetteren-
 tur, ac nonnisi vacante ejusmodi offi-
 cio Catholici subrogarentur, eoquod
 Curatorum *Administrationes ipsam Reli-
 gionem directe non concernant, multo mi-
 nus etiam mutata Religione necessario mu-
 tandæ, & in Catholicos transferendæ sint.*

§. LV.

Magdeburgum a Cæsareis cinctum.

Compositis rebus Religionem spectan- Theatr. Eu-
 tibus, acrior Magdeburgensi urbi rop. tom. 2.
 calamitas imminebat; cum enim cives pag. 44.
 nec Cæsaream legionem in urbem re-
 cipere, nec pecuniarum summam a
 Fridlando Duce petitam numerare vel-
 lent, Cæsarei civitatem cingere jube-
 bantur. Verum piscatores, civesque
 turmatim confluentes præprimis Mo-
 nachos, quos tamen Cæsar in suam
 clientelam receperat, oppresserunt,
 atque in oppido urbi vicino Cæsareos
 N 3 adorti,

Sæc. XVII. adorti, plures trucidarunt, navesque
 A. C. 1629. annona onustas diripuerunt: Magistratus

equidem, se incio hosce tumultus fuisse suscitatos causabatur, simulque datis literis Cæsarem rogabatur, quatenus inita compositione amicam urbem obsidione liberare vellet. Hæc tamen literæ omnibus viis per seditiones cives interceptis ad Imperatorem non pervenere, interim vero aucti perduellium ferocia, crebris iisque oppido cruentis velitationibus dimicatum frustra Lubecensi, Hamburgensi, Brunsvicensi & Hildesimensi Legatis tumultum sopire tentantibus; hi enim, nisi prius ablatam annonam restituerent, ac Monachis Cænobii ad B. Virginem urbe excedendi facultatem darent, a Bechero Cæsaris Tribuno Magdeburgum ingredi haud permittebantur; ubi vero cum Magistratu de sedandis turbis agebant, cives interim militesque iterato in Cæsareos infano impetu irruerunt, cæsis utrinque non paucis. Horum igitur pertinaciam fracturus Fridlandus Dux, validiores admovit copias, missoque in urbem tibicine factiosos cives hortabatur, ut Cæsareum militum præsidiumque recipere non detrectarent, quinque dierum spatium ad deliberandum concessit. Hi vero nec Cæsaris copias admittere, nec petitam pecuniam

Adler. part.

3. lib. 14.

Annal. Boic.

cuniarum summam numerare parati, Sæc. XVII.
 fe, inconsultis Anseaticarum Urbium A. C. 1629.

Legatis nil decernere posse, responderunt: His igitur a Comite Papenheimio publicæ securitatis literæ traduntur, missoque in urbem feziali Magdeburgenses milites admonentur, ne sævitia inter Christianos haud usitata deinceps sua belli tormenta vitris, calce, aliisque illicitis armis onerarent. Verum hic fezialis non modo cum petulanti responso in castra remittebatur, sed insuper die octava Septembris Magdeburgenses eruptione facta Cæsareos profligarunt, capto etiam Porzia Comite, quem, quamvis libertatem suam mille aureorum lytro redimere nitentur, sclopi ictu peremptum ceterorum ludibrio nudum exposuere. Horum tamen sævitiam Cæsarei tertio post die frequenti obsessorum cæde plectebant. Tandem vero Legatorum opera Fridlandus die vigesima prima Septembris obfisionem in tertium ferme Mensem protractam solvit, civibusque plenam negotiandi libertatem restituit; dilato ad viginti Menses excidio, quod per latissimum murum postea sponte colapsum, fuisse prænuntiatum, necnon a Petro Lotichio prædictum, creditumque fuit, quod ea civitas, quæ præ ceteris Religioni Catholicæ inimica

N 4

exsti-

Sæc. XVII. existit, Deo atque Cæsari suæ pro
 A.C. 1629. tervitatis pœnas, Catholici fœderis
 armis datura esset.

§. LVI.

Suecici belli in Germania initium.

Brachet. hist. Interim Ferdinandus Cæsar causas
 l. 6. propter quas Joannem & Adolphum
 Fratres Megalopolitanos Duces suis di-
 tionibus privasset, promulgato edicto
 manifestabat, incassum pro eis depre-
 cante Christiano Daniæ Rege, ipsaque
 Joanne in Cæsaris gratiam redire in-
 fra tentante. Inde vero Gustavus
 Adolphus Sueciæ Rex speciosum armis
 in Cæsarem vertendi obtentum non
 contempsit; jam dudum enim a Ger-
 manicis Protestantibus sollicitabatur
 ut sub specioso restituendæ Germanicæ
 libertatis obtentu vires suas Acatholi-
 cis jungeret: nec deerat ei prona
 bellum voluntas: obstiterat tamen ad
 huc Borussica expeditio; quamvis enim
 Rex non una clade Polonos affecisset
 hoc tamen anno minus prospera Sue-
 cis arridebat belli fortuna; quippe
 Brodnicia urbe vix non ad deditionem
 coacta, Torunia a Joanne Urangæ
 incassum obsessa, insuper Cæsar Fried-
 ricum Aruheimium cum septem Equi-
 tum millibus in Polonorum opem sum-
 mavit.

miserat, quibus copiis suffultus Con- Sæc. XVII.
 jecpollus Suecicum exercitum iterato A. C. 1629.
 prælio fudit, profligavitque, capto bis
 ipsomet Gustavo Rege, qui tamen a
 Polonis haud agnitus, pernicious equi
 beneficio Mariæburgum evasit. Tum
 vero Rex in arcto positus fuisset, nisi
 exorta Arnheimium inter & Conjec-
 pollium dissensio Gustavo spatium reli-
 quisset, ut redintegratis viribus, fir-
 matisque urbibus sese hosti suo supe-
 riorem redderet: Insuper Poloni an-
 nonæ, & pabuli penuria pressi magno
 numero ad Suecorum castra transfu-
 giebant, ipse quoque Sigismundus Po-
 loniæ Rex morbo correptus, castra de-
 seruit, omnemque ulterioris victoriæ
 spem præcidit: quocirca Galliæ, &
 Angliæ Regum Legatis urgentibus, in-
 duciæ in quinque annos initæ sunt, ea
 lege, ut Brodnicia, aliæque urbes Po-
 lonis restituerentur, Mariæburgum ve-
 ro Electori Brandeburgico in deposti-
 tum traderetur, qui tamen annuos
 proventus in ærarium Polonicum re-
 ferret. Postquam igitur hæc induciæ
 a Poloniæ Ordinibus Varsoviæ fuerunt
 approbatæ, Sueciæ Rex stimulantibus
 Anglis, Gallis, Batavisque, qui in
 Cæsaris, Domusque Austriacæ exci-
 dium conjuraverant, arma Germaniæ
 N 5 in-

Sæc. XVII. inferre, serio decrevit, reclamante
A. C. 1629. cet ejus Senatu.

§. LVII.

*Sueciæ Regis obtentus ad bellum Ger-
manicæ inferendum.*

*Nann. hist.
de Venif.*

l. 8. p. 83.

Adam.

Adam. rel.

Hist. de pac.

Westph. c. I.

pag. 14.

Ne vero Gustavus Rex bellum Ger-
fari temere intulisse videretur, ad
Fridlandum & Tillium literas per Ste-
nonem Bielke transmisit, hujus teno-
ris: Gustavus Adolphus &c.
„Virtutum tuarum fama, & quam
„nobis de Excellentia tua non minus
„quam exercitu & Principalibus tuis,
„Catholicæ ligæ Directoribus amicitiam
„pollicemur, fecit, ut præsentium oc-
„casione Excellentiam tuam salutare-
„mus, certumque faceremus, ut, si
„quid a nobis proficisci poterit, ad ho-
„norem & emolumentum Excellentie
„tuæ promovendum, id sibi de bene-
„volentia nostra, quacunque sub occa-
„sione indubie promittat: injunximus
„præsentium exhibitori, ablegato Se-
„natus nostri Baroni Bielke, ut pluri-
„bus hunc animum nostrum Excellen-
„tiæ tuæ contestaretur, quem, quia
„eo nomine tua Excellentia sibi com-
„mendatum habeat, omnino non du-
„bitamus. Sumus tuæ Excellentie
„ad omnia Regii favoris officia præ-

„stan-

„standa semper benevoli, atque his Sæc. XVII.
 „eam Deo commendamus. Ex arce A. C. 1629.
 „nostra Stocholmiensi die vigesima se-
 „cunda Aprilis anno millesimo sexcen-
 „tesimo vigesimo nono. „

Traditis hisce literis idem Lega-
 tus causas, ob quas Rex suus jure ad
 arma coactus videretur, longa serie
 exposuit; semper enim bella quærenti
 obtentus ex Politicorum officinis ab-
 unde suppeditantur: Præcipuæ autem
 erant sequentes. I. Quod Cæsar du-
 rante bello, quod Suecus cum Poloniæ
 Rege habuit, ipsi comæatum copias-
 que submiserit. II. Eidem Sigismun-
 do Polono spem fecerit, post superatam
 Germaniam adunatis viribus Sueciam
 ipsam aggrediendi. III. Imperium in
 mare Balticum hætenus Sueciæ Re-
 gibus proprium contra jus fasque Wal-
 lensteinius per sollicitatas pro navibus,
 urbes Hanseaticas Cæsaris nomine af-
 fectarit. IV. Polonis, non item Sue-
 cis, milites in imperio durante inter
 eos bello, conscribere a Cæsare per-
 missum sit. V. Merces Negotiatorum
 ex Suecia, in terras Imperii allatas re-
 tinuerit; & ita liberum commercium
 stiterit. VI. Stralsundam sibi fœdera-
 tam per suos oppugnaverit. VII. A
 Conventu Lubeciensi, ubi pro pace
 tractandum erat, excluso suo Legato,
 Sue-

Sæc. XVII. Suecorum Regem pro hoste Imperii de
 A. C. 1629. clararit, propterea, quod Stralium

ab Imperatoriis obsessæ, transmissis
 auxiliis subvenerit. His quidem ra-
 tionibus jus sui belli contra Cæsarem
 suscepti palam omnibus facere voluit

Attamen hæ causæ potius inventæ
 ac quæsitæ videbantur; jam enim An-
 no Christi millesimo sexcentesimo de-
 cimo quarto Rex per Joannem Zobelium
 a Mauritio Hassiæ Landgravio, & postea
 prostratis Palatini rebus a Gallis, An-
 glisque, necnon a cunctis Protestantibus
 Principibus, Cæsareæ felicitati
 æmulis sollicitabatur, ut junctis viri-
 bus foederato contra Imperatorem Au-
 striacosque exercitui præesset, quam-
 vis tum Russico, Polonicoque bello im-
 plicitus, necnon ærario exhaustus, pot-
 tuque ad Australem maris Balthici oram
 exponendis copiis commodo destitutus
 graves, quas contra Cæsarem & Catho-
 licos coxerat, iras effundere haud pos-
 set: Veræ igitur & genuinæ belli de-
 nuntiati rationes erant istæ. I. Est
 etum Cæsaris, quo, ut sæpe alias, hoc
 maxime anno severe urgebat Protestan-
 tes, nominatis pro executione potentis-
 sibus Principibus, ut Catholicis restitu-
 tuerent Episcopatus, Ecclesias Colle-
 giatas, Abbatias, Monasteria, Pri-
 oratus, aliasque possessiones Ecclesiarum

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

ficæ, quas inde a transactione Passa-
viensi ab anno nempe millesimo quin-
gentesimo quinquagesimo tertio usque
ad præsentem annum millesimum sex-
centiesimum vigesimum nonum occu-
pallent. II. Imperium absolutum Al-
berti Wallensteinii in Cæsaream mili-
tiam, & formidanda omnibus Princi-
pibus ejus potentia, qua nixus sæpe
videbatur contra ordines Imperii insul-
tare. III. Nimia militum licentia, qua
in Hibernis maxime Principum subdi-
tos torquebant. IV. Immensus mili-
tum numerus & immensi pariter sum-
ptus pro iis alendis. V. Incrementa
Domus Austriacæ, cui Regna & Prin-
cipatus ex voto accederent, unde val-
de accensa vicinorum Regum invidia.

Enimvero Tillius ad Gustavi Regis
litteras rescribens, pollicebatur, se to-
tis viribus in eo futurum, ut pristina
concordia Cæsarem inter & Regem
redderetur, Legato autem respondit,
Sueciæ Legatos ad Lubecensem con-
ventum ideo non fuisse admissos, eo-
quod ibidem nonnisi inter Cæsarem &
Daniæ Regem res ageretur, ad cetera
vero de Stralsunda & suppetiis Polono
submitis, Fridlandum, ad quem ea
spectarent, responsurum. Verum hæc
vindiciæ Suecum ab armis Cæsari in-
ferendis adeo non retraxerant, ut ne-
qui-

Sæc. XVII. quidem expectatis Fridlandi literis
 A. C. 1629. bellum terra, marique pararet, & milites apud Batavos, Anglos, & maritimas Germaniæ urbes conscriberet. suaque classe adversus Cæsareos maribus infestans, ne ullæ naves ad Stolpensem, aliasque Cæsareas stationes appellerent, severe interdiceret. Præterea Volcmarum de Farensbach Legatum, ad Anglos, Gallos, & Batavos ad pangendum contra Ferdinandum Cæsarem foedus decrevit, eundemque Legatum ad Carolum Nivernium Mantuanum Ducem, inde vero in Transylvaniam ad Ragotzium Ducem ablegavit, ut eisdem arma in Germaniam proxime vertenda polliceretur, necnon cum illis ageret, qua ratione Ferdinandum junctis viribus aggredi, graviusque damnum ei inferre possent. Ipse etiam Richelius Cardinalis ad omnes Regem sibi demerendis occasiones intentus, clam nonnullos in Sueciam emittebat, qui Gustavi mentem, & vires, necnon Imperii Principum voluntates expiscarentur. Fertur quoque, quod idem Cardinalis suaserit, Principes Catholicos ad repetenda bona Ecclesiastica ab hæreticis ablata, necnon ad urgendam Cæsarei exercitus, sui que Belliducis exauctorationem esse incitandos, ut hæc ratio-

*Khevenhill.
 Annal. Ferd.
 tom. II. ad
 ann. 1629.
 pag. 427.*

ratione in Domum Aufriacam odium Sæc. XVII.
 omnium Principum Protestantium ac- A. C. 1629.
 cerferetur, hisque Galliarum Regi con-
 ciliatis Cæsaris potentia penitus ever-
 ti posset.

§. LVIII.

*Restitutionis negotium Augustæ Vin-
 delicorum continuatum præcipue
 circa bona Ecclesiæ ad
 S. Crucem.*

Postquam Ecclesiarum, quas Luthe-
 rani sibi Augustæ vendicarant, Ad-
 ministratores juxta Cæsaris Senatus-
 que mandatum susceptæ administra-
 tionis rationem reddiderant, suaque
 pretenfa jura in easdem Ecclesias &
 bona publicis literis manifestarant, Ca-
 tholici ea, quæ perperam ab eis fuere
 allegata, refellere nitebantur, & pri-
 mo quidem die decima quinta Septem-
 bris nomine totius Abbatix ad S. Cru-
 cem Rmus DD. Joannes Præpositus,
 R. R. D. D. Balthasar Diepold Decanus,
 & Daniel Dürheimer Procurator &
 Joannes Baptista Maier Monasterii Præ-
 fectus ab Episcopalis Subdelegatis &
 civitatis Delegatis sibi Ecclesiam S.
 Othmari, granaria, Domum Conco-
 natoriam seu Auditorium pro Luthe-
 ranae sectæ concionibus habendis, cum
 omni-

*Authent.
 Instrum.
 Ex Archiv.
 Abbat. ad
 S. Crucem
 fasc. 1. 2.
 & 3. Lit. C.*

Sæc. XVII. omnibus annexis fundis, documentis
A. C. 1629. decimis, proventibus, domibus &
 sibi restitui petierunt, ac præprimis et
 vetustissimis documentis sigillo munito
 comprobatum reddidere, quod anno
 1210. Præpositus Berchtoldus in novo
 suo cæmeterio ex collectis Fidelium e-
 leemosynis sacellum D. Catharinæ con-
 struxerit, ipseque in eo Familiæ Pa-
 tritiæ de Ilfung sepulturam concessit,
 id testantibus Epitaphiis. Anno
 autem 1445. Joannes Dax Præpositus
 hoc Sacellum vetustate collapsum de-
 struxerit, novumque S. Othmaro dica-
 tum ære suo & fidelium stipe erexit,
 in eoque jura Parochialia deinceps
 exerceri voluerit, & Laicis annuente
 Præposito & Conventu sepulturam
 concesserit: Eodem hoc anno idem
 Præpositus petentibus Ecclesiæ Cura-
 toribus, ut supra hoc Sacellum possent
 frumentum suum reponere, non ex
titulo justitiæ, sed ex mera gratia ad
 tempus indulserit, elapso autem tem-
 pore hæc granaria ad Monasterium,
 Abbatem & posteros reverterentur, e-
 recto desuper instrumento, cui Petri
 Episcopi, Præpositi & Curatorum si-
 gilla fuere apposita: Ex his igitur ma-
 nifestum foret, dictam Ecclesiam seu
 Parochiam pleno jure ad Abbatiam
 pertinuisse. Præterea docuerunt,
 quod

quod adhuc 1501. hujus Ecclesiæ Cu-
ratores suffragante Præposito & Con-
ventu constituti fuerint, & illi his, de
reditibus, ornamentis & eleemosynis
rationem reddere coacti fuerint: postea
vero Lutherani anno 1525. via facti
hanc Ecclesiam pro sectario suo cultu sibi
adjudicarint, postquam Magistratus po-
tissimum A catholicus aliquem locum,
non autem de vel in cæmeterio, sed
de publica platea concesserat, uti ex li-
teris concessionis constat: Palam ta-
men adversus hanc violentiam a Ca-
nonicis reclamatum fuerit, uti testantur
Augustanorum literæ die decima octa-
va Januarii Anno 1537. datæ ad Cæsa-
rem cunctosque Imperii Ordines, nec-
non ex Episcopi & Capituli Cathedra-
lis vindictis nomine totius Cleri Augu-
stani eodem Anno Mense Februario di-
vulgatis elucet. Inutilis tamen fuerit
tunc Canonicorum oppositio, eo quod
Senatus universum Clerum e civitate
expulerit, omnesque Ecclesias Catho-
licis prævalente armorum vi eripuerit:
proin quicquid Lutheranus Senatus
circa hoc Sacellum, atrium, domos-
que durante hac violentia, & lite apud
Cælaream Curiam pendente atten-
tarit, Abbatia juribus nocere haud
potuerit.

Sæc. XVII.

A. C. 1629.

His addiderunt, quod Lutherani in superhabito Cæsaris mandato de restituendis bonis Ecclesiasticis anno 1548 nihilominus Ecclesiam S. Othmari modo detinuerint, sed etiam pro suo arbitrio campanile, aliaque ædificaverint, ipso Præposito rursus apud Senatum graviter eodem anno Mense Decembri querente, domumque in arce seu cæmeterio exstructam, nec non bona granaria sibi juxta pacta nuper iniuncta restitui petente: Rursus Anno 1549 die vigesima nona Novembris Bernardus Præpositus in Ecclesiæ suæ arce novum ædificium se incerto ac inconsulto ædificari, apud Senatum questus fuerit, in superhabita autem hac oppositione Lutherani exulante Præposito ac Canonicis, reclamante tamen ejus Mandatario, in super porticum pro Ecclesia S. Othmari ædificarint, Præpositus Augustam redux apud Cardinalem & Episcopum Augustanum hac violentia questus, a Senatu tamen persuasus hanc porticum, cum obstitere haud posset, ex benevolentia toleravit postquam Lutherani Curatores quarta Januarii anno 1550. suo chirographo ac sigillo professi fuissent, quod ad Senatus preces Præpositus ex benevolentia precario & ad tempus prefatam porticum construi permiserit, tamen

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

tamen lege, ut si eadem haud ultra indigerent, suis expensis eam sine ullo Cænobii ac posterorum præjudicio tollere velint. Fallente autem Lutheranorum fide Præpositus anno 1553. & quinto post anno hujus porticus everisionem sollicitavit, nihilominus tamen Lutherani anno 1561. veterem S. Othmari Ecclesiam unacum porticu, eo quod confluentem populum haud caperent, destruxerint, novamque ac ampliorem Ecclesiam erexerint, rursus suo chirographo professi, quod hæc precaria Præpositi concessio nullatenus eorum, nec posterorum juribus fraudi esset, proin utroque hoc chirographo falsi fuerint, quod hujus fundi proprietatis ac dominium per hanc concessionem nunquam a Monasterio ad eos fuerit translatum, cum in proprio suo fundo quisvis absque benigna & precaria alterius concessione ædificare valuisset. His expositis adhuc subjunxerunt Canonici, quod subsequenter annis circa januam, quam ex platea ad Ecclesiam, & aream sanctæ Crucis proceditur, his sæpe evenerit, Ædiles vero deciderint, plenum jus Præpositis suffragari, cum Monasterium longiore tempore, quam Lutheranorum Ecclesia fuisse ædificata, jam exstiterit. hæcque Ædiliū sententia a Senatu fuerit

Sæc. XVII. rata habita, præcipue cum Lutherano
 A. C. 1629. claves ad hanc januam Clero ejectionis
proin via facti sibi vendicarint.

§. LIX.

*Compositio circa restitutionem bonorum
 Abbatiae ad S. Crucem.*

*Compos.
 Rest. con-
 firm. Ex
 Archiv.
 S. Cruc.
 Nro. 19.
 Instrum.
 Protest. de
 anno 1651.*

Cunctis hisce mature ponderatis Cæsarei ac Episcopales Subdelegati coram civitatis Augustanæ Deputati præfatos Canonicos Regulares ad Sanctam Crucem comparere jusserunt, atque in Sessione nona cunctos nominatos Abbatiae propositos articulos prædictæ urbis Deputatis intimarunt, his respondentibus, quod circa auditorium, Prædicantis & æditui donum, necnon vicariam, quæ Ecclesiam & auditorium interjacet, eadem sit ratio, ac circa domus ad S. Udalrici: cum ergo hæc loca antiquissimis temporibus ad Sanctam Crucem pertinuerint, & aliunde Prædicantis domum Curatores Lutherani speciatim duntaxat precario concessisse testentur, hinc Abbati, æque Udalricanis, hic locus unacum vicariis restituendus sit: de cetero autem circa fabricæ Curatores idem, quod in aliis Parochiis observari, atque organum, ceteraque unacum provisoribus, qui annue ad ducentos quatuordecim

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

ginta novem florenos ascendunt, Curatorum administrationi relinquī possent. Percepta hac compositione Canonici sat contenti, unice petierunt, ut juxta antiquum pactum de anno 1501. Præpositus ex octo sibi nominatis Viris quosdam Curatores nominare valeret, quod ei duntaxat juxta ceterarum Parochiarum consuetudinem concessum, & minores decimas, quas Udalscalcus Episcopus Abbatix donaverat, deinceps percipendi spes facta est. Porro ad hanc decisionem Cæsares æque ac Ecclesiasticos Subdelegatos compulit causæ tot documentis comprobatæ æquitas, necnon juxta pacta anno 1548. & post pacem Religiosam anno 1582. resuscitata jurisdictio Episcopalis, atque a Lutheranis ipsis per literas suas reversales An. 1590. & 1561. agnitus sūdi Dominus, scilicet Præpositus ad S. Crucem, quæ reversales per pacem Religiosam nullatenus irritatæ fuerunt, partim quod reversales de anno 1561. primum post hanc pacem fuerint expeditæ, partim quod in præfata pace, ejusmodi reversales esse annullatas, nullibi legatur, aliunde vero pax Religiosa Episcopum, Clerumque Augustanum non obstrinxerit, eo quod hæc fuisset conventio inter status Imperii, in quam Episcopus non consenserat,

Sæc. XVII. rat, sed protestatus erat: Ex his igitur
A. C. 1629. necessaria consecutione deducebatur, quod quia Lutherani nunquam legitimo domini jure nequidem anno 1624 hæc bona possederunt, & sublato per Cæsarem Augustanæ Confessionis exercitio haud ultra precario concessa Ecclesia, domibusque egeant atque in hunc eventum ipsimet Lutherani se eas reddituros polliciti erant, ea omnia suis Dominis restituere tenerentur: hinc præfati Delegati pronuntiarunt sententiam, vi cuius Lutherani omnia ædificia, fundos, eisque inædificatas domus, Auditorium, Prædicantis, & æditui ædes, organum, granaria, lateres aliaque ex S. Othman Sacello ad Lutheranæ Ecclesiæ fabricam translata Joanni Præposito tanquam notorio Fundi Domino restituere obstringerentur.

Eodem igitur anno Præposito cuncta præfata fuere restituta, ac traditum Monasterium tamen in hanc restitutionem mille quingentos florenos expendere cogebatur.

§. LX.

Compositio circa Cathedralem Ecclesiam ad B. Virginem.

Primo loco Episcopales ac Cæsarei Sæc. XVII.

Subdelegati querelas nomine Ca- A. C. 1629.

thedralis Capituli, ac Parochialis Ec- Compos.
clesiæ propositas contra Lutheranos Rest. Con-
discusserant, eoquod hi Clero urbe ex- firm. de
pulso, Parochiæ proventus sibi vendi- anno 1621.
cassent, ac præstanda non sine magnis

Capituli Cathedralis sumptibus, ac
damnis præstare neglexissent: Unani-
mi igitur suffragio decisum, quod Fa-
bricæ Curatores cunctos exstantes pro-
ventus, pecunias, bonaque immobilia
& mobilia præfatæ Ecclesiæ ac Paro-
chiæ cederent: deinceps vero non mo-
do Ecclesiæ hujus Curatores, sed & om-
nes, quibus bonorum Ecclesiasticorum
vel foundationum administratio commit-
tenda foret, vi Cæsarei mandati Reli-
gione Catholici essent, scirentque, quod
eorum munus non ad ampliorem se ex-
tendat auctoritatem, quam quæ in a-
liis urbibus & pagis Ecclesiarum ad-
ministratores competit, quibus Ec-
clesiæ vel Parochiæ proventus non *jure*
Proprietatis, sed duntaxat nomine *Admi-*
nistratorio committi solent. Præterea
Curatores Ecclesiæ ad B. Virginem,
uti olim, ita & deinceps a Senatu no-
minentur, qui quotannis ad festum S.
Michaelis reditus & expensas compu-
tare, & ante festum sancti Martini co-
ram Capituli Cathedralis, Parochi &
Senat-

Sæc. XVII. A. C. 1629. Senatus Deputatis rationem scripto-
 tenus reddere teneantur, ita tamen
 ut ad hunc actum diei & loci designa-
 tio impostero Capitulo & Senatu
 alternis vicibus competat, nunc vero
 a Capitulo initium fiat. Ex his autem
 redditibus Curatores deinceps pro beatis
 Altaribus sanctæ Crucis & S. Michaelis,
 necnon pro Cathedra cereos, orna-
 amenta, mappas, hostias, vinum tantum
 ad oblationes quam communionem
 aliaque Parochialibus oneribus annexis
 subministrare, & ad duodecim Aposto-
 los in Choro, & ad crates consecratas
 tempore luminaria suppeditare tenean-
 tur, sique quædam detrita reficienda
 vel consocienda sint, tempore annuæ
 computationis præfati Deputati de
 inter se amice conferant, si vero inter
 convenire nequirent, jus decidendi Ep-
 scopo salvum servetur: hujus tamen
 Ecclesiæ æque ac altarium Curatores
 graviores non faciant expensas, quas
 hujus Ecclesiæ vires ac redditus absque
 Capituli damno vel imminutione fer-
 re possent.

§. LXI.

*Querelæ circa bona Abbatiæ ad
 Udalicum, aliisque Ecclesiis
 erepta compositæ.*

Postquam Imperialis Abbatiae ad S. Szec. XVII. Udalicum Deputati comparuerant, A. C. 1629.

nullo negotio usurpatae Ecclesiae ac domuum obtentus a Lutheranis prolatos refellebant, cum hi falsis inniterentur fundamentis, scilicet, quod eorum Ecclesia in urbis fundo fuerit aedificata, cunctaque quae ab Ecclesiarum Administrato-ribus ex collectis fidelium eleemosynis fuerunt erecta, in ipsos cum jure domini, ac proprietatis transferint: Praeterea Deputati ex vetustissimis antiquissimae hujus Abbatiae monumentis demonstra- tum ibant, quod in eo fundo, ubi haec Ecclesia sita est, olim caemeterium proin locus sacer fuerit, atque illius aevi Abbas nomine Joannes de Hochen-stein anno 1458. aream versus plateam muro cinxerit, ac ibidem in usum Mo- nasterii Ecclesiam suis sumptibus con- struxerit, ibidemque semper usque ad annum 1537. quo Clerus a Lutheranis urbe fuit expulsus, Catholicae fidei exercitia & Conciones fuerint habitae, ac propterea idem Abbas novae hujus Ecclesiae frontispicio non Curatorum, sed Monasterii insignia depingi jussit; & anno 1450. Abbas Melchior ex mera benevolentia Curatoribus ad eorum preces horologii indicem exterius appo- nere indulserit: unde nullum Curato- ribus Lutheranis in hanc Ecclesiam jus

Document.
ex Archiv.
Abbat. S.
Udalr. &
S. Georg.
Conventa
rest. de an-
no 1629.



Sæc. XVII. competere possit, eo nomine, quod
 A. C. 1629. illis fuerit ædificata, & restaurata
 cum eo tempore Catholici non ex pro-
 prio ære, sed ex fundatis fabricæ Ec-
 clesiasticæ redditibus hanc Ecclesiam e-
 rexerint, ac concedentibus illius æ-
 Abbatibus restaurarint, nec etiam Ma-
 gistratus A catholicis hanc Ecclesiam
 Lutheranis concedere potuerit, cum
 is in illam, utpote quæ jam ab anno
 1458. res sacra fuit, nec proprietatis
 nec possessionis jus habuerit, semper
 que Abbates ac præcipue Jacobus Köp-
 plinus aduersus hanc usurpationem re-
 clamarint, atque in signum notorium
 retentæ possessionis claves ad hanc Ec-
 clesiam retinuerint, sibi liberum ad eam
 aditum reseruarint, & Carolus V. ce-
 terique succedentes Imperatores Ab-
 batiam circa omnia sua ædificia, præ-
 cipue hanc Ecclesiam nullatenus esse
 turbendam præceperint.

Plura alia in defensionem sui juris
 ac domini proferebant hujus Abbatis
 Deputati: quocirca R. R. P. P. Bernar-
 dus Körtfelder Prior & Carolus Stem-
 pel Cellarius necnon Georgius Wol-
 farth Cancellarius ab Episcopalis Sub-
 delegatis petierunt. I. Ecclesiæ Pa-
 rochialis administrationem, Auditio-
 rium unacum annexo Sacello, cæmete-
 rio, Prædicantis domo, & hortum, cete-
 raque

raque muris cincta restitui, necnon jus Sæc. XVII.
 Patronatus ad quoddam Beneficium in A. C. 1629.
 Ecclesia S. Ursulæ, præter Ruechinam
 & Hautfeterensem fundationes reddi.
 II. Postularunt, ut Ecclesiæ hujus Mi-
 nistris post obtentum hoc Privilegium
 immunitas conservetur, lisque cir-
 ca piscinam dirimatur, ac demum Ec-
 clesia ad S. Leonardum prope Gögin-
 ganam portam in pristinum Statum re-
 ponatur. Perceptis his Episcopales
 Subdelegati cum Urbis Augustanæ De-
 putatis convenere, ut Ecclesiæ proven-
 tus, eorumque administratio a Luthe-
 ranis ad Abbatiam transferatur, om-
 nia sive ædificata sive non ædificata
 muris cincta Ecclesiæ ad S. Udalricum,
 ad quam antea spectabant, restituan-
 tur: circa Curatores cuncta disponan-
 tur, uti supra de Ecclesia Cathedrali
 dispositum fuit, iidem Curatores ædi-
 tium Parochialem alere necnon Ma-
 gistratui, a quo constituendi, expensa-
 rum & reddituum rationem accersito
 Abbate reddere, eique petenti compu-
 tationis factæ exemplar tradere tenean-
 tur, de ceteris autem præcipue præ-
 fatis fundationibus amica fiat compo-
 sitio, quæ si secuta non fuerit, senten-
 tiam pronuntiandi jus Episcopo tan-
 quam loci Ordinario reservatum sit. Se-
 natus autem loco domus ad S. Ursulam
 ducen-

Sæc. XVII. ducentos florenos numeret, ac confes-
 A.C. 1629. tiat, ut Monasterium suo tempore do-
 mum eidem contiguam, in ambitu cir-
 citer ducentorum pedum emere valeat.

Postulabat insuper nomine Abbatis
 ad S. Georgium R. P. Udalricus Ste-
 pich restitui Sacellum S. Michaelis
 Lutheranam Ecclesiam conversum
 necnon Prædicantis & æditui domum
 cæmeterium aliaque loca muris cincta
 utpote antiquo jure præfatæ Abbatis
 propria; necnon proventus a Curatori-
 bus perceptos, ac trecentos quinquaginta
 florenos ad campanam extortos
 unacum Hörwartensis foundationis re-
 ditibus: Petebant quoque erectum a
 Præcone lavatorium destrui, pactum
 que cum Curatoribus S. Wolfgangi an-
 no 1479. erectum servari. Percepti
 hisce querelis inter Deputatos Episco-
 pales & Senatum convenit, ut omnia
 petita ædificia, redditus, campana, ce-
 teraque omnia restituantur, circa Hör-
 wartensem foundationem idem sancitum
 quod antea de Hausteterensi, servatum
 tamen pacto de anno 1479. proin quatuor
 annis Abbatis decem floreni a Curatoribus
 ad S. Wolfgangum pendantur
 cetera autem Episcopo decernenda reli-
 quantur. Postea Nobilis Gynæcei a
 S. Stephanum Deputati petebant, ut
 Ornatus ex Parochia & Ecclesia ablati
 tus

tus, Pedum & Parochialia jura, nec- Sæc. XVII.
 non ædes in Abbatix fundo ædificatæ A. C. 1629.
 restituantur. Ad hæc decretum, duos
 Calices adhuc existentes, necnon præ-
 fatam domum esse restituendam, circa
 Curatorum vero proventus antea con-
 ventis standum.

Ecclesie autem Collegiatæ ad S.
 Mauritium Deputati exponebant, quod
 eorum Ecclesia Officinis & ædificiis
 circum erectis profanata, atque veteri
 choro, duobus Sacellis, cæmeterio, &
 area ante Ecclesiam, ubi nunc domus
 frumentaria exstat, fuerit spoliata,
 necnon in ejus fundo Auditorium Aca-
 tholicum, Prædicantis & ædificiis
 erectæ, fabricæ proventus ad S. An-
 nam translati, redditus pro lampade
 perpetuo ardente contra pacta dene-
 gati, documenta circa Collegiatæ ju-
 ra, necnon jura Patronatus super Ca-
 pellaniam Xenodochii ad S. Antonium
 eis injuste ablata fuerint, prædictum-
 que jus excluso Capitulo a Lutheranis
 usurpatum. Discussis hisce querelis
 conventum est, omnes hæc officinas
 Ecclesie Collegiatæ sumptibus circa
 festum S. Michaelis anni sequentis
 destruendas esse, atque Ecclesie spa-
 tium una ex parte pedum sexdecim,
 ex altera octodecim pedum amplum
 relinquatur, ita ut Canonici in hoc
 spatio

Sæc. XVII. spatio aut ædificare, aut hunc locum
A.C. 1629. positis limitibus circumscribere, libere
 valeant, eisque octoginta pedum spatium
 tium versus domum textoriam pro nova
 va Sacristia esset cedendum, permit-
 tendumque, ut a Laurentiana area usque
 que ad turrin locum sexdecim pedibus
 latum emere possint: reddendi quoque
 forent Fabricæ proventus: Domus
 vero frumentariam utpote Magistratus
 ære erectam in pristino loco esse ser-
 vandam, decisum est, ita tamen, ut
 deinceps, nec longior, nec altior ne-
 latior erigi valeat. Pollicebatur etiam
 Senatus, se in compensationem lætio-
 nis ob varias domos duo florenorum
 millia, & ex fabricæ proventibus cen-
 tum florenos quotannis unacum deci-
 mis majoribus ex prædio Inferioris
 Maittingæ daturum. Decretum demum
 que, documenta, quæ exstant, & Fa-
 bricæ proventus esse reddendos Ec-
 clesiæ Collegiatæ, atque a Curatori-
 bus necessaria esse præstanda: circa
 lampadem vero decisio Episcopo relicta
 est: cetera autem ad aliam tractatio-
 nem fuere remissa. Porro utrinque
 conventa a Cæsare fuere confirmata
 & postea tam Episcopi quam Senatus
 chirographo ac sigillis die vigesima
 primo Novembris munita. Insuper Se-
 natus obtenta Cæsaris confirmatione
 pollice-

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

pollicebatur, quod non modo plenam
omnium hucusque decretorum resti-
tutionem Episcopo facere, sed etiam
Ecclesiam sanctæ Annæ, & Templum
Fratrum Minorum sub promissa refer-
vatione, prout Episcopus Bartholomæo
Eilelin Carmelitarum Provinciali &
Magistro Joanni Hugolino Knauff Con-
ventualium S. Francisci Regenti ad S.
Mariam de Maiiungem scriptotenus
declarasset, pro restituendæ Catholicæ
fidei exercitio ad proximum S. Catha-
rinæ festum reddere, & necessarios
sumptus ad reparandas has ædes ex
utriusque Ecclesiæ proventibus usque
ad proximam summi Pontificis deci-
sionem suppeditare velit: His pactis
subscripti legebantur Zacharias Furten-
bach Ecclesiæ Cathedralis Decanus,
Joannes Conradus de Neuhausen Scho-
lasticus, Mathæus Wanner Cancellarius,
David Welfer, Constantinus Im-
hoff, Leonardus Weinhardt, Jacob
Retter, & Joannes Christophorus Wa-
guer Doctores.

Cum autem præfati duo Religiosi
sua quoque Monasteria restitui peterent,
Senatus Deputati exposuere, quod
præprimis Carmelitæ ante expulsam
Clerum, pacemque Religiosam huiati
Xenodochio redditus suos pactæ ad dies
vitæ censu cesserint, ac Monasterium,
Eccle-

Sæc. XVII. Ecclesiamque deseruerint, idemque
A. C. 1629. fecerint Fratres Conventuales: nunc
 vero ex publico Urbis ærario in Monasterio ad S. Annam Gymnasium erectum, & in illud Fratrum Minorum Nosocomium seu præbenda S. Jacobi bona fide fuerit translata, modo autem ejusmodi innovatio haud ulterius fieri posset, hinc Senatus Carmelitarum Monasterium & Ecclesiam ceteraque omnia, excepta Gymnasii Bibliotheca, fornice, & Præfecti Urbani æde, restituit, Fratribus vero Minoribus Ecclesiam, promissa officinarum & æditum domus demolitione, atrium portæ vicinum cessit, adeo, ut obstructa altera parte Religiosi a Præbendis segregati in suo Monasterio commode degere valeant, pro reservatis autem ædificiis aliis Senatus Carmelitarum in compensationem centum florenos & Fratribus Conventualibus annuos ducentos quinquaginta in recognitionem dare promisit: Quoniam vero tam Carmelitæ quam Conventuales, eorumque legitimam transigendi facultatem a suis Præpositis Generalibus nondum accepissent, Senatus promissum nequaquam in perpetuum, sed duntaxat ad sex vel novem annos acceptare voluerunt, aliunde vero ex Cæsaris præscripto Senatus duntaxat jurisdictionem Episcoporum rursum

rursus vindicare iussus esset, ambo au-
 tem Monasteria a jurisdictione Episcopi
 exempta fuerint, hinc utrinque deci-
 sum est, hanc causam pro tunc, *sine*
tamen cujusque partis præjudicio esse su-
 spendendam, ejusque decisionem ad
 Papam esse remittendam, hancque in-
 rem tam Carmelitis quam Conventua-
 libus Rimus Episcopus Henricus scri-
 ptum dedit testimonium, quod etiam
 præfati tam Episcopi, quam Senatus
 Deputati die vigesima prima ejusdem
 Mensis suo firmarunt chirographo ac
 sigillo.

Sæc. XVII.
 A. C. 1629.

§. LXII.

Belli Mantuani continuatio.

Dum in Germania Catholicam Dei
 Ecclesiam ab hæresis sæce expur-
 gandi sollicitudo fervebat, interim bel-
 lum rei Catholicæ longe perniciosissi-
 mum pro unius Ducatus possessione in
 Italia totis viribus promovebatur: Vix
 enim in Galliis innotuerat Uxellii agmen
 a Sabaudis ad internecionem deletum,
 & Casalim ab Hispanis obsessam, mox
 Richelius Cardinalis Caroli Nivernii
 jura armis tuenda, Sabaudi vero au-
 daciam vel vi vel auro expugnandam
 pronuntiabat, incassum pacem suaden-
 tibus Regina, Berullo Cardinale, &

Priorat.
Hist. de
Ferd. II.
part. i.
pag. 244.
Khevenh.
Annal. Ferd.
t. II. p. 610.
Vassor Hist.
de Louis
tom. 6. l. 26.
Nan. Hist.
Venet. l. 7.

Hist. Eccles. Tom. LIX.

P

Ma-

Sæc. XVII. Marillaco Cancellario : Ferdinandus
 A. C. 1629. quoque Cæsarem P. Guilielmus Lamor-
 manus Jesuita, cui a confessionibus
 erat, ab hoc bello Mantuano dehorta-
 batur, graviter propterea eundem in
 crepantibus Hispano Rege & Francisco
 Christophoro Comite de Khevenhille
 Legato, eique exprobrantibus, quo
 plus æquo sese Mantuano negotio im-
 misceret: Ad has tamen querulas La-
 gati literas Lamormanus respondit
 „se duntaxat Cæsarem rogasse, ut
 „tem inter Principes Catholicos exor-
 „tam non armis, sed amica compo-
 „sitione dirimere studeret, ne fractis Ca-
 „tholicorum viribus instigante dæmo-
 „nio hæretici ac rebelles invalescerent
 „de cetero si Rex Catholicus, eum no-
 „tanquam Jesuitam & fidelem subditum
 „hac in re egisse judicaverit, se munus
 „suum digniori cedere, paratum esse.
 Verum omnem transactionis spem
 vertit Nivernius Dux, in cujus favo-
 rem Bautrius Franciæ Orator decla-
 rabat, Regem suum nullas admittens
 pacis condiciones, nisi excluso Cæsare
 ac restituta inter utrumque Regem
 concordia, Pontifex decisivam pronun-
 tiaverit sententiam: Eapropter Sedes
 Apostolicæ Nuntii in Hispaniæ Regi
 Aula plures transactionis articulos
 ptotenus proponebant, quos a Vigiliis

la Cancellario acceptos Khevenhille-Sæc. XVII.
 rus Cæsaris Legatus rejecit, exponens, A. C. 1629.

eos esse contra Cæsaris auctoritatem,
 Regis Catholici honorem, & Sabaudi
 commodum, necnon contra æquitatem
 ac justitiam, Italiæ tranquillitatem,
 ac denique contra Religionem Catho-
 licam, quæ Galliarum Rege cum suis
 Hugonotis Italiam invadente evertere-
 tur: His postea subjunxit Orator:

„Nuntii Apostolici pacis desiderium
 „ostentant, nec immerito; mediis ta-
 „men adeo non utuntur opportunis, ut
 „potius bello centum annorum Italiam
 „involvant, & proposita pace maxi-
 „mam Cæsari, quem suo jure spoliant,
 „injuriam inferant: aliunde vero haud
 „permittendum, ut de rebus Princi-
 „pum temporalibus disponendi janua
 „Pontifici aperiatur, cujus Nuntii ne-
 „quaquam idoneos proposuere arbitros;
 „Magnus enim Etruriæ Dux ratione
 „Senensis ditionis vasallus est Hispani
 „Regis, & Pontifex nimium Gallis ad-
 „dictus simul arbiter & Judex esse ne-
 „quit, ac præterea huic sequestro in-
 „hians cum Nivernio Duce convenit,
 „ut hic Montferratum Franciæ Regi,
 „& Avenione relicta Mantuanum Du-
 „catum Pontifici cederet: indignum
 „ergo est, ut duo Sacerdotes cum sua
 „scriptura Regium exercitum armis
 „exuant,

Sæc. XVII. „exuant, Gallosque non sine ma
 A. C. 1629. „nifesto Italix excidio evocent: co
 „venientius autem erit, ut Marchi
 „Spinola cum valido exercitu & pecu
 „niarum subsidiis quantocius in Italian
 „expediatur, Mediterraneum mare in
 „festetur, Veneti Cæsareis copiis cir
 „gantur, & Anglis contra Franciæ Re
 „gem suppetiæ ferantur.,

§. LXIII.

*Urbani VIII. Pontificis literæ ad
 Ferdinandum Cæsarem.*

*Lotich. rer.
 Germ. l. 28.
 cap. 6.
 Theatr. Eu-
 rop. tom. 2.
 pag. 83.*

Postquam omnia, quæ Cæsaris, Hi
 spanique Regis Ministri hucusque
 agitaverant, Romæ innotuerant, Pon
 tifex, qui Gallis plus æquo favere cre
 debatur, copiis Cæsareis, Hispanisque
 contra Nivernium Ducem eductis Ita
 liam inundari ægerrime ferebat, qui
 circa, ad Ferdinandum Cæsarem præ
 cipue contra Wallensteinium querula
 hæc literas dedit: „Fama mihi præ
 „cognitum est, Cæsaris copias tantum
 „non in Rhetiam ascendisse, atque Ita
 „liam versus progredi, immo vero
 „lium adhuc supervenire exercitum
 „quem quidem iste ducat, qui hæc
 „nus Cæsaris sui imperium, sedemp
 „propriam modo non laceravit, sed
 „tiam sic sese gessit, ut Cæsaris inte
 „dic

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

„dictis, ordinibus factisque declaratio-
 „nibus oblectari consueverit, omnia-
 „que Cæsari susceperit contraria, non
 „sine indelebili summi contemptus no-
 „ta, tantum abest, ut mandatis ex
 „lege morem gesserit, ut jam proclive
 „sit ominari, quorsum hæc præsens
 „spectet expeditio: cum hæctenus ru-
 „mores, ac fama titulum huic bello
 „præscripserint, proinde Cæsarem pa-
 „terne admoneo, vellet periculi ple-
 „nam id genus belli aleam declinare,
 „malumque ab Ecclesia Catholica pro-
 „cul amoliri: in sequiorem eventum
 „paratus sum, adversus hostes tam
 „Ecclesiastico, quam seculari experiri
 „gladio: Ut etiam proclive sit, illis,
 „qui militari cum potestate sunt, id
 „advenire, quod Carolo Duci Borbo-
 „nio accidit, qui modo non in facie
 „Urbis Romanæ spiritum reddidit, sed
 „sub excommunicatione Ecclesiastica
 „sempiternam ad ignominiam periit.„

§. LXIV.

Casalis obsidio soluta.

Verum hisce Papæ minis monitisque
 apud Cæsarem, ac Hispaniæ Re-
 gem longe prævaluit consilium nuper
 a Khevenhillero Legato datum: quo-
 circa Philippus IV. Rex nulla mora
 Spi-

P 3

Sæc. XVII. Spinolam Mediolanensi Præfectura ho
 noratum, & decies centenis aureorum
 A. C. 1629. millibus suffultum emisit, necnon cum
 Rohanæo Hugonotarum Principe, &
 Regem Franciæ cum suis invaderet, fo-
 dus pepigit, ea tamen lege, ut Du-
 Catholicos in urbibus a se occupatis
 nullo pacto molestaret, nec eorum
 bertati, bonis aut juribus damnum in-
 ferret: Cæsar quoque præter septem
 armatorum millia, quæ jamjam in Ita-
 liam movebant, insuper Ductore Rom-
 baldo Comite Collalto alia septem mil-
 lia pro Mantuana expeditione destina-
 bat, Wallensteinio cum suis Metin in-
 festare jussit: Interim Ludovicus Fran-
 ciæ Rex cum valido exercitu per Sab-
 audiam in Montferratum properabat.
 transitum tamen denegante Caroli
 Emanuele Sabaudæ, Rex armata ma-
 nu viam sibi aperuit, prospero admo-
 dum successu; quippe expugnato Sa-
 gusio Sabaudum, procurante Cardinali
 Richelio, ad pacem compulit, ejus-
 que ditionem longe lateque emittit.
 exercitu Victor emensus est: quo con-
 perto Gonsalvus Corduba in scio His-
 spano Rege Casalis obsidionem solvit,
 totoque Montferratensi Ducatu exce-
 dit, Toyraffio hanc urbem, & Crequi-
 Segusium ingressis: Ludovico autem
 Rege in Franciam reverso Richelieu
 Card.

Cardinalis Gallici exercitus imperium in se suscepit; postquam vero Cæsarei, ductoribus Colalto, Meradio, Aldringero, & Gallaffio cum viginti duobus peditum, & quatuor ferme Equitum millibus agrum Mantuanum occupatis omnibus ferme urbibus, torrentis instar inundaverant, & Philippus Marchionis Spinolæ Filius Montferratum cum viginti armatorum millibus invaserat, Richelius Toyrassio negotium dedit, ut protuenda Casali vicinas urbes validis muniret propugnaculis: Tandem omnium animis in bellicum apparatus intentis tam Cæsareos, quam Hispanos primum annonæ inopia, demum adulta hyems in hyberna compulit.

§. LXV.

Sylva-Ducis a Batavis expugnata.

Interim Henricus Arausionensis Princeps, ac Batavæ Reipublicæ Gubernator Belgium hostilibus armis invadere statuit: Incitabat eum continuata armorum felicitas, aurifera classis nuper Hispanis erepta, exhaustum Regni ærarium, indeque Procerum, militumque indignationes adversus Hispaniæ Ministros, ipsamque Isabellam Belgii Catholici Gubernatricem exortæ: His accessit innatum in Austriacos, Catho-

*Hist. du
Siege de
Bolduc.
Ferrer. cont.
Hist. Hisp.
tom. 12. c. 1.
Newill. hist.
d'Holl. t. 2.
pag. 62.*

Sæc. XVII. tholicosque odium, quod patriæ liber-
 A. C. 1629. tatis fausto rebellionis successu firmata
 amor auxerat. Prima igitur Mensis
 Maji die Princeps Sylvam-Ducis ur-
 bem, cui Antonius Grobbendonkus
 præerat, cingere, ductisque aggeribus
 ac vallis cuniculos ad urbismænia pro-
 movere cæpit. Haud segnius obsessi
 obfirmato ad resistendum animo ho-
 stium impulsus eludebant, mille pedes
 tibus a Balanconio Bredanæ urbis Go-
 bernatore submissis aucti: Ipse etiam
 Henricus de Bergen, seu Montensis
 Comes Belgici exercitus Ductor cum
 valido agmine die prima Julii accu-
 rens, hostium castra iterato, irrito
 cet conatu aggressus est. Insuper
 bita enim obsessorum fortitudine Ba-
 tavi Anglis Gallisque conjuncti die de-
 cima septima Junii Isabellæ propugna-
 culum, ac biduo post sancti Antonii ar-
 cem expugnarunt, tota jam obsidionis
 mole in ipsam urbem conversa: Ni-
 igitur Montensi supererat, nisi ut ho-
 stium manus ab urbe in ipsa Hollandiæ
 viscera converteret: Ergo inopina mu-
 nus Batavis, quam fausta Hispanis ex-
 peditione cum Cæsareo milite, quem
 Ernestus Comes de Montecuculo addu-
 xerat, Isala ponte strata Vesaliam ingre-
 ditur, primaque irruptione Amerstet-
 tium, aliasque urbes tam rapido victo-
 riarum

riarum cursu occupat, ut jam Amstel-
 lodamum non vano trepidaret pericu-
 lo: Obstiterat victoribus Stirumius
 Comes ab Henrico Principe cum vali-
 dis copiis emissus, qui tamen pugna
 ad decimam usque horam protracta
 non sine magna Batavorum clade re-
 cedere compulsus est. Verum primis
 hinc delibutæ victoriæ auspiciis deerat
 fortunæ constantia; cum enim Otho
 de Ghent Embricæ Gubernator Vesa-
 liam urbem ab Hispanis minus custodi-
 tam cerneret, Cæsarei, Hispanique
 exercitus absentia fretus, die decima
 nona Augusti inopina vi urbem inter-
 cepit, præsidiariis natione Hispanis,
 ac Italis sine venia jugulatis, Germa-
 nis vero vitæ gratia donatis: Capta
 hac urbe Calviniani cives insano tripu-
 diabant gaudio, non modo de opimis
 hostium spoliis, sed vel maxime sectæ
 suæ hucusque interdictæ libertate de-
 nuo asserta sibi gratulantes; semper e-
 nim in vulgi animis plurimum valet
 Religio, nunquam autem magis, quam
 si ejus exercitium est inhibitum, quod
 quamdiu concessum, in consuetudinem
 abit, prævalente luxu, ambitione, di-
 vitiis, aliisque commodis, quæ rebus
 prospere fluentibus communi religionis
 bono præferri solent. Porro accepto
 recuperatæ Vesaliæ nuntio, Bergensis
 P 5 &

Sæc. XVII.
 A. C. 1629.

*Lotich. Her.
 Germ. p. 676.
 Theatr. Eu-
 rop. p. 2.
 fol. 71.
 Adlzr. An-
 nal. Boic.
 t. 3. p. 210.*

Sæc. XVII. & Montecuculus, ne ab Anglis, Daniis
 A. C. 1629.

interciperentur, oppida hucusque ce-
 pta deseruere. Obsessi quoque infausti
 hoc successu territi, ac subsidii spe de-
 stituti, cum jamjam ampla muri ruinæ
 aditum in urbem aperiret, die ultimæ
 Augusti de dedenda civitate delibera-
 runt, missisque ad Arausionensem Prin-
 cipem Legatis, quindecim dierum in-
 ducias, ut Isabellam Gubernatricem de
 extrema urbis calamitate certiores
 redderent, postularunt; rejecto tamen
 hoc petito rursus varias deditiois le-
 ges, ac præcipue Religionis Catholicæ
 libertatem proposuerunt, qua rursus
 denegata, die decima quarta Septem-
 bris Franciscus Michael Ophovius Epi-
 scopus, Joannes Morfius Bernensis Ab-
 bas, & Joannes Hermanius Decanus
 eisdem ferme, quibus Breda fuit dedita
 articulis subscripsere. Erant autem
 sequentes Religionem præcipue spe-
 ctantes. I. Incolis conscientiæ liber-
 tas juxta patriæ morem facta serve-
 tur. II. Uterque Clerus post bimestre
 urbe excedat, unacum suis picturis
 Imaginibus, ac reliquo Ecclesiarum
 ornatu. III. Curata eorum Beneficia
 Batavis cedantur in urbis commodum
 convertenda. IV. Moniales Professæ
 & Novitiæ suorum Conventuum sum-
 ptibus

ptibus in Urbe remaneant, Batavorum Sæc. XVII.
 vero arbitrio relinquatur, an illas in A. C. 1629.
 suis Monasteriis tolerare, vel alia eis
 loca assignare velint. V. Incolis om-
 nibus etiam Ecclesiasticis vita & bo-
 na, necnon Urbi omnia jura & privi-
 legia sint salva.

§. LXVI.

*Seditiosi Hugonotarum motus adver-
 sus Ludovicum XIII. Fran-
 ciæ Regem.*

Quantumvis Ludovicus XIII. Gallia-
 rum Rex tam in Belgio, quam in Gramond.
 Hist. Gall.
 lib. 18.
 Germania Calvinistarum res subsidia-
 riis armis suis potenter promovisset, Jæger. hist.
 Eccl. 1. 9.
 hac tamen sua indulgentia in Gallis re-
 belles Hugonotarum animos eo flectere Ludolph.
 Theatr. Orb.
 cap. 5.
 haud poterat, ut hi capta etiam Ru-
 pecula, multisque eorum millibus fer-
 ro ac fame deletis, legitimo Regi suo
 fidem obsequiumque præstarent; post-
 quam enim Bernhardus Pelzius, qui
 ad Rohanæum Ducem, Calvinianæ
 factionis Principem Madrito Hispani
 Regis pacta perferebat obsignanda, To-
 lolæ interceptus, laqueo perfidiæ suæ
 poenas dederat, Rohanæus corrasas
 sectæ suæ reliquias in Francici Regis
 sui perniciem impendere statuit, Igi-
 tur in Occidaniam irrumpens, Hugo-
 nota s

Sæc. XVII. notas ibidem collectos ad arma capeffen-
 A. C. 1629. da, atque ad ultimos rebellionis conatus
 incitat; verebatur tamen, ne Hugone-
 tarum moderatiores sese a novæ rebel-
 lionis societate objecta Regis clemen-
 tia eximerent, eoquod paulo ante
 Ludovicus publico edicto sanxis-
 set, cunctos, qui positis armis in
 Regis obsequio perstiterint, omni pe-
 trocinio, Regiaque clementia tuto-
 fore, in sua autem seditione obfirmos
 omni legum severitate plectendos.
 hinc Rohanæus Dux ex circumvicinis
 Provinciis, urbibusque præcipuos Hu-
 gonotas Nemausum convocabat, ex-
 ponens, quod Regium hoc edictum
 unice ad fallendos nimium credulos
 comparatum esset, eoque sine promul-
 gatum, ut soluto inter eos animorum
 viriumque nexu eo facilius unaomnes
 a Rege opprimi possent. His pluribus-
 que aliis ad innovandam seditionem
 aptis in hoc Conventu propositis Ro-
 hanæus, facta Anglici subsidii spe,
 cunctos eo adegit, ut incerto aut incon-
 sulto Angliæ Rege se nunquam cum
 Gallico Rege suo pacem inituros, in-
 terposita juramenti Religione pollice-
 rentur. Adeo familiaris est Calvinistis
 Divini Nominis profanatio: Nec his
 contentus Dux, insuper edictum pro-
 mulgari jussit, quo quidem rebellionis
 sua

suæ atrocitatem excusare, re tamen Sæc. XVII.
 ipsa nil nisi odium erga Regem legiti- A. C. 1629.
 mum subditis inspirare nitebatur; un-
 de mox contrario scripto eidem respon-
 sum, ac demonstratum, quod Cal-
 viniætæ per summam iniquitatem arma
 capefferent, cum Christianis etiam
 oppressis minime licitum, legitimis
 suis Principibus vim opponere, Prin-
 cipes vero teneantur, Sectarios, qui
 Ecclesiam, Regniq̄ue tranquillitatem
 perturbant, plectere. Has autem ve-
 ritates Rohanæus, cum in Calvini
 schola edoctus non esset, Occidaniæ
 Provinciam, qua late patet, ferro flam-
 maque devastat, ac primo tumultuarii
 impetus successu tumidus, Privatium
 munitissimum Vivariensis Provinciæ
 oppidum suo milite firmat, promotis-
 que castris Cononnam arcem oppugnat,
 nihilominus ab Estreo Marefcallo inde
 repulsus, commissoque prælio devictus,
 cæcis suorū potissimis ægre saluti
 suæ fuga consuluit.

§. LXVII.

*Privatium aliæque urbes a Ludovico
 Rege subjugatæ.*

Tam pertinacis perfidiæ insolentiam
 indignatus Rex cum valido exer-
 citu in Occidaniam movit, nullaque
 mora

Sæc. XVII. mora cum octo peditum millibus, &
 A. C. 1629 Equitibus mille Privatium obsidere sta-
tuit, aut subjectis veniam, aut obli-
 natis excidium inferre paratus. Et
 ex sine pacem cum Anglo initam in
 castris promulgari iussit, ut rebelles
 saltem abjecta Anglicæ opis fiducia
 tandem ad obsequium redirent. Insuper
 feciali in Urbem misso ultroneam
 obtulit deditioem: at rebelles Calvinistas
 nec Regis sui tum præsentis
 reverentia, nec juris gentium sanctitas
 ejus legatis debita cohibere poterat.
 quo minus Regem ludibrio, & feci-
 lem immisso globorum grandine exci-
 perent: Tum vero clementia in rabiem
 versa Rex admoto totius bellici appa-
 ratus instrumento mænia quadruplici
 verberatione quatere incipit, ac nequi-
 dem puncto temporis quiescente op-
 pugnationis ardore ingentem murorum
 stragem edit, tanta civium consterna-
 tione, ut deditioem fieri peterent:
 obstabat tamen Santandræus Urbis
 Præfectus, qui cum suis præfidiariis
 potius mori, quam clementiam Regis
 exorare maluit, incassum eidem insa-
 nam contumaciam exprobrante Cabri-
 lio Nobili, qui Regiæ indignationis
 metu adactus, noctu unacum civibus
 potissimis partim ad vicinos montes,
 partim ad Tulonensem arcem profugis
 urbe

urbe dilapsus est. Aucta igitur obfes- Sæc. XVII.
 forum pertinacia acrius redintegratur A. C. 1629.
 verberatio, sed tentata semel, atque
 iterum per ruinam irruptione toties
 Regii repelluntur; tandem vero præ-
 valente Regii militis fortitudine Sa-
 nandræanus deditionis leges præscri-
 bere tentat, cui tamen a Richelio Car-
 dinale significatam, haud aliam restare
 conditionem, nisi Regis arbitrium ac
 misericordiam: hoc responso in despe-
 rationem actus Gubernator, in arcem
 sese recipit, ubi impetu a Regiis facto
 atrox committitur prælium, ac deficien-
 tibus globis cominus dimicatur, hastæ
 hastis pulsantur, ac mucrones in ora
 diriguntur, & Regii acie & castris ex-
 pulli fuissent, nisi restaurato prælio,
 totoque superveniente exercitu Regius
 miles potius numero quam virtute præ-
 valuisset, tum vero Santandræus ur-
 bem civibus vacuum, omni tamen ap-
 paratu divitem reliquit, quæ a milite
 Regio direpta, paucis post horis, an
 militum incuria, vel Calvinistarum
 perfidia incertum, continenti incendio
 in cineres resedit. Rursus Guberna-
 tor sibi, suisque vitam, libertatemque
 concedi postulat: ast sese Regis arbi-
 trio committere jussus, ipsemet ad
 Regis tentorium ex arce venit, qui
 tamen mox in vincula coniectus est.
 Hoc

Sæc. XVII. Hoc Gubernatoris fato territi milites
 A. C. 1629. præfidiarii, ultro ex arce diffugiunt
 ex quibus tamen ab insequente milite
 Regio plusquam sexcenti fuere truci-
 dati, reliquis fuga dilapsis. Hi ven-
 tuorum cladem ulturi, in pulveris in-
 trati dolium ignem iniecere, ac quam-
 plures ex Regiis misere torserunt, nec
 alio desperatæ hujus vindictæ emolu-
 mento, nisi quod Regii sociorum eju-
 latibus ad reddendam vicem provocati
 ceteros quoque dedititios Calvinistas
 licet inermes, interficerent. Horum
 calamitate consternati Privatienses Se-
 natores urbium suarum claves ultro Regi
 offerebant, ceteri vero una omnes ab-
 jecta communis causæ cura in privata
 rei suæ commodum pacem exorare stu-
 tuebant, non sine magna indignatio-
 ne Rohanæi, qui conventiculo Ando-
 siæ habito eisdem persuadere nitetur,
 ut mutua inter se conspiratione
 cohærent, donec obtenta pace com-
 muni omnium causæ consultum esset.
 Concesserant in Rohanæi sententiam
 duntaxat Cebennenses, Rutheni, Mon-
 talbenses, Castrenses, & Alefiani, qui
 postremi urbem suam bis mille pediti-
 bus munitam tradere recusabant, ex-
 tremam potius experiri parati: postquam
 vero Rex apertis aggeribus urbi pro-
 ximius belli tormenta admoverat, ho-

honestis conditionibus urbem dedere: **Sæc. XVII.**
 Tandem vero, Cardinale Richelio spem **A. C. 1629.**
 veniæ, pacisque singulis faciente, ob-
 tinerunt Calvinistæ, ut dirutis pro-
 pugnaculis, veteres urbium suarum
 muri ac portæ servarentur. Postea
 Mense Junio Nemausi in hæc pacta con-
 sentire jubebantur. I. Religionis Ca-
 tholicæ, Apostolico-Romanæ liberum
 exercitium sit in omni loco, & Clero
 restituantur bona & redditus, a quocun-
 que demum possideantur, sicut & Mo-
 nasteria, eorumque proventus. II. Ven-
 ia & oblivio sit criminum belli occa-
 sione perpetratorum, exceptis iis, quæ
 vocantur *execrabilia*. III. Libertas con-
 scientiæ, ususque sectæ Calvinianæ sit,
 qualis edicto Nannetensi continetur.
 IV. Intra trimestre omnia urbium mu-
 nimenta (exceptis veteribus muris) a
 Magistratu solo æquari curentur. V.
 Sectariis bona sua omnia, etiam æra-
 rio addicta restituantur. VI. lisdem
 ubique per totam Galliam libere liceat
 habitare, exceptis Insulis Rea & Ole-
 roniam, Rupella, & Privatio. VII. Sen-
 tentiæ a sectariis Judicibus Regio Ma-
 gistrati substitutis latæ sint firmæ,
 appellatio autem fiat ad *Edicti*, ut vo-
 cant, *Cameras*. VIII. Sectariarum Ur-
 bium Syndici, qui pecunias Regias in
 sectæ subsidium erogasse arguuntur, li-
 beri

Hist. Eccles. Tom. LIX.

Q

Sæc. XVII. A. C. 1629. veri sint a repetundarum actione, luculenter confiterit, autoritate vata id factum fuisse. His ita utriusque firmatis ipse quoque Rohanæus se Regi submitit, potius tamen melioris fortunæ desperatione coactus, quam sine obsequendi studio impulsus, ideoque jussus est Regno facessere, quod non sibi, nec Regi, ejusque subditis, quam diu in eo viveret, satis tutum fuisse. Ceterum hic Princeps ob animi magnitudinem rerumque gerendarum dexteritatem laudari mereretur, nisi causam quam pro sua secta contra Regem aggitimum propugnauerat, culpanda fuisse; inde etiam infelix erat successus belli, quod iniique suscepit. Quam autem postmodum Regi in provincia Rhætorum & præcipue in celeberrima ad Rhinsfeldium acie, ubi ex vulneribus occubuit, obsequia præstitere postea memorabitur.

Interim vero cum Montalbenfesibus suæ munimenta, quibus toties adversus Regem suum tuebantur, evicti, pactisque subscribere renuerent, Richelius Cardinalis inter tot sectas hanc solam impune Regis obsequium recusare indignatus, illam quavis dispendio subjugare statuit; pro tanto igitur exercitu, missoque fecerit urbis deditionem fieri postulat: tunc

versantur aliquamdiu cives, tandem **Sæc. XVII.**
 vero proposita spe & metu Richelius **A. C. 1629.**
 eos tanta sagacitate sibi devinciebat,
 ut traditis urbis suæ clavibus Regi
 in occursum venire certarent: dedita
 ergo urbe Cardinalis peracta re Divina
 ibidem rursus Ecclesiæ Catholicæ exer-
 citium restituit, sexque peditum millia
 ductore Bassompetra, munimentis pau-
 lopost solo æquatis, per domos distri-
 bui iussit. Hic demum diuturnæ re-
 bellionis finis, ac Calvinianæ sectæ in
 Galliis interitus erat: exinde vero Lu-
 dovicus Rex proprio didicerat experi-
 mento, quod Franciæ Reges nonnisi
 ex perniciosæ hujus sectæ arbitrio huc-
 usque pacis bellique consilia agitare,
 arma sumere & ponere, & veluti in
 diviso Imperio regnare coacti fuerint,
 sublata vero hac peste tunc primum
 Regia auctoritas, & potentia reflore-
 scere, Regnumque victoriosis accessio-
 nibus augeri cæperit.

§. LXVIII.

*Novem Cardinales hoc anno ab Ur-
 bano VIII. creati.*

Ad sublevandas curas oppido graves,
 quibus turbidis hisce temporibus *Ciacon. in
 vita Ur-
 ban. VIII.*
 Ecclesia jactabatur, Urbanus VIII. Pon-
 tifex Viros prudentia & doctrina con-
 spi-

Sæc. XVII. spicuos in laboris societatem vocare
 A. C. 1629. necessarium fore censuit, quocirca
 anno die decima nona Novembris
 vem Viros oppido præstantes Purpuræ
 Romana decoravit: Hos inter primus
 erat Joannes Baptista Pamphilus
 Patriarcha Antiocheno Cardinalis Pres-
 byter Ecclesiæ S. Eusebii, postea ce-
 bris Pontifex, Innocentius X. dictus
 Joannes Franciscus Guidius a Balne
 Cerviensis Episcopus Presbyter Car-
 nalis tit. S. Alexii III. Petrus Pazu-
 nus natione Hungarus Strigoniensis
 Archiepiscopus, Cardinalis Presbyter
 tit. S. Hieronymi. IV. Antonius Sa-
 cracrusius Seleuciensis Archiepiscopus
 Presbyter Cardinalis tit. S. S. Nerei
 Achillei. V. Alphonfus Ludovicus
 Plessis de Richelieu Lugdunensis
 chiepiscopus, Cardinalis sine titulo
 VI. Joannes Baptista Pallotta Pres-
 byter Cardinalis Ecclesiæ S. Laurentii
 in Lucina. VII. Gregorius Narus Rhe-
 tinus Episcopus Cardinalis Presbyter
 sanctæ Mariæ de Pace. VIII. The-
 dorus Trivultius Cardinalis Diaconus
 S. Mariæ in Via lata. IX. Didacus
 Guzman de Haro ex Hispalensi Ar-
 episcopo Cardinalis sine titulo.

§. LXIX.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.*Jacobi Cavalerii Cardinalis obitus.*

Hi Purpurati aliorum septem, qui *Ciacon. in*
hoc anno ex sacro Collegio decesserunt, locum occupaverant: Ex *de-
vita Ur-
ban. VIII.*
functis autem hisce primus erat Jacobus Cavalerius patria Romanus, qui a Clemente VIII. & Paulo V. Pontificibus variis Ecclesiæ negotiis præfectus, ob pietatem, mansuetudinem, morumque comitatem ab Urbano VIII. Purpura decoratus est: Tandem annis viribusque fractus Tibure die vigesima octava Januarii anno ætatis sexagesimo tertio decessit: Typis edidit Decisiones Rotæ Romanæ, quæ ipso Auditore emanarunt.

§. LXX.

Petri Valerii Cardinalis decessus.

Alter erat Petrus Valerius Venetus, *Ughel. in*
qui ex Patavino Canonico primum *Ital. Sacr.*
Famagustanus Episcopus, dein Cretenlis Archipræsul, ac demum a Paulo V. Cardinalis Presbyter nominatus, Cenetensem, & postea Patavinam Ecclesiam rexit: Eminuit singulari erga Deiparam pietate, in cujus honorem Veronæ conspicuum erexit Sacellum,

Q 3

no-

Sæc. XVII. novemque Sacerdotia instituit, dotavitque. Pariter in Ecclesia S. Mariæ gratiarum prope Venetias Capellam suis sumptibus excitavit, & Patavii Sacellum Beatæ Virginis a fundamentis erexit, ejusdemque Ecclesiæ Canonicos ex asse hæredes instituit, ac demum Ecclesiæ Collegiatæ Divi Marci, cujus titulum gesserat, Romæ sacram suam suppellectilem legavit. Obiit Patavii die nona Aprilis.

§. LXXI.

Octavius Bandinus Cardinalis mortuus.

Suarez. de Episc. Prænest. Ughel. in addit. ad Ciacon.

Eandem æternitatis viam paulopost die prima Augusti ingressus est Octavius Bandinus, patria Florentinus, quo generis sui nobilitatem eximiis moribus, artibusque liberalibus mirifice extulit, ac nondum exacto decimo quinto ætatis anno jamjam Cosmum Medicum Etruriæ Ducem perelegantioratione funebri laudavit: Parisios inde delatus Philosophicis, ac Salmanticis in Hispania Theologicis & Legalibus scientiis operam navabat, demum obtenta Pisis Jurisprudentiæ Laurea Romanam profectus, ibidem Gregorio XIII. Sixto V. & Gregorio XIV. sedentibus varias Legationes, aliaque Ecclesiasticis

Status munia non sine ingenti prudentiæ ac integritatis laude obibat: de-
 mum vero suffragantibus meritis a Cle-
 mente VIII. Firmanus Archiepiscopus,
 & paulo post Cardinalis renuntiabatur,
 a Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII.
 Successoribus tanto in pretio habitus,
 ut ab eis passim appellaretur *Veneran-
 dus Senex, sacri Collegii deliciae, ac pa-
 triæ suæ decus*. Vir enim erat, multa-
 rum virtutum studio, humanitate, &
 pietate clarus, multiplici doctrina ex-
 cultus, cujus veneranda canities, oris-
 que Majestas præclaris animi dotibus
 conjuncta omnium in se oculos, ani-
 mosque ita rapuerat, ut velut ævi sui
 oraculum, ac Ecclesiæ ornamentum
 coleretur, supremique Pontificatus di-
 gnus honore existimaretur. Tandem,
 postquam quinquaginta annorum cur-
 riculo assiduis pro Sede Apostolica fun-
 ctus laboribus erat, Romæ annos natus
 septuaginta duos Purpuram cum vita
 exiit, sepultus in Ecclesia sancti Syl-
 vestri.

§. LXXII.

*Andree Peretti de Montalto Cardi-
 nalis extrema.*

Eodem hoc anno die tertia Augusti *Ciacon. in
 Romæ naturæ debitum solvit An-
 dreas* *vita Clem.
 VIII.*

Q 4

Sæc. XVII. A. C. 1629. Andreas Baronus patria Picenus, qui in Sixti V. familiam cooptatus, passim Andreas Perettus de Mentalto dicebatur. Juvenis erat bonæ indolis, facie decora & amabili, moribusque suavissimis ornatus, & quamvis in literis non multum profecisset, in Congregationibus tamen, quibus adscriptus erat summa prudentia causas referebat. Porro a Clemente VIII. Cardinalis, & ab Urbano VIII, Tusculanus Episcopus renuntiatus, postquam magnam pecuniarum summam piis locis, pauperibus & domesticis suis legaverat, anno ætatis suæ quinquagesimo quinto apud S. Petrum in Palatio suo defunctus, in Liberiana Basilica tumulatus est.

§. LXXIII.

Caroli Madrutii Cardinalis mors.

Ughel. Ital. sacra tom. 1. p. 5.

Ejusdem Mensis die decima quarta in eadem Romæ septuagenarius decessit Carolus Madrutius Nobilis Tridentinus quam Ecclesiam annis novem supra viginti administravit: Petente Rudolpho II. Imperatore a Clemente VIII. Cardinalis, & ab Urbano VIII. Episcopus Sabinensis nominatus, ob morum suavitatem, animique candorem se subditis æque ac Clero amabilem reddidit; erat etiam in amicos splendidus, in pauperes

peres liberalis, atque in omnes muni- Sæc. XVII.
 ficus, omnibusque dotibus Principe A. C. 1629.
 dignis ornatus: Sepelitur in æde S.
 Onuphrii in Sacello Madrutianæ Fa-
 milia.

§. LXXIV.

*Joannes Garfia Millinus Cardinalis
 vita functus.*

Hunc pari fato sequebatur Joannes Bentivol.
 Garfia Millinus Nobilis Romanus, mem. hist.
 quem ob incorruptam vitæ, morum-
 que integritatem, mentem nonnisi ad
 alta natam, multiplicem scientiam,
 exquisitam rerum omnium experien-
 tiam, miramque in rebus gerendis dex-
 teritatem Sixtus V. & Gregorius XIV.
 gravibus Ecclesiæ negotiis præfecere.
 Postea a Clemente VIII. Papa unacum
 Cajetano Cardinale ad Poloniæ Regem,
 a Paulo V. ad Philippum III. Regem
 Hispaniæ, necnon ad Mathiam Hun-
 garicæ Regem & Rudolphum Cæsarem
 ablegatus, magno cum Reipublicæ
 Christianæ bono bellum inter hosce Fra-
 tres plusquam civile feliciter compo-
 suit. Redux vero e Germania Romæ
 ab eodem Pontifice Urbis Vicarius re-
 nuntiabatur, pluribusque Congrega-
 tionibus præfectus, tantam prudentiæ
 & scientiæ existimationem sibi compa-
 rave-

Sæc. XVII. raverat, ut illum Urbanus VIII. de
 A. C. 1629. rebus maxime arduis etiam ægrotan-
 tem in lecto censuerit consulendum.
 Adeo tamen a propriæ laudis studio
 erat alienus, ut quamvis plures Eccle-
 sias suo ære restaurarit, ornarit, do-
 taritque, nullam tamen de his mentio-
 nem fieri, nec suorum gentilium stem-
 ma apponi, unquam permetteret. Obiit
 Romæ Episcopus Tusculanus die prima
 Octobris anno ætatis suæ quinquage-
 simo septimo, sepultus apud S. Mariam
 de Populo. Peroravit in ejus funere
 Frater Antonius Marinarius Carmelita.

§. LXXV.

Petri Berullii Cardinalis obitus.

*Vittoret in
 addit. ad
 Ciacon. Ma-
 racc. in
 Purp. He-
 liot. Ord.
 Monast. t. I.
 Ceryf. vit.
 Berull. Gra-
 mond. Hist.
 Gall. l. 17.
 § 18.*

Postremus ex Purpuratis hoc anno
 defunctis erat Petrus Berullius No-
 bilis Campanus, qui bonam fortis et
 nimiam a teneris annis sese totum pie-
 tatis operibus dicabat, necnon hæredi-
 tatis paternæ bonis Fratri suo natu mi-
 nori relictis, sacræ militiæ nomen de-
 bat. Adolescentior factus in animam
 induxerat, sese Patribus Carmelita-
 rum Excelsæ addicere, quo sine bis iterum
 Hispaniam suscepit: Ast æternæ men-
 tis numine ac consilio factum, ut ipse
 ad instituendum novum Regularem Or-
 dinem reservatus, ad Sanctimonialia

Theresianas in Galliam transplantandas Sæc. XVII.
 destinaretur; postquam enim Nobilissima A. C. 1629.
 Matrona Acaria eo fine Santellium &
 Bretignium iterato in Hispaniam ab-
 legaverat, irrito tamen successu, nec-
 dum animo dejecta Berullium rogabat,
 ut tertio in Hispaniam itinere, sex Car-
 melitanas Virgines in Franciam dedu-
 ceret, assignato eis in sancti Jacobi sub-
 urbio Parisiis Prioratu ad B. Virginem
 de Campis, quod Cænobium a PP. Be-
 nedictinis Abbatix Marmutianæ olim
 inhabitatum tunc suppressum erat. Be-
 rullius igitur propagandæ Dei gloriæ
 desiderio accensus, superatis oppositio-
 nibus, & insidiis in itinere structis,
 necnon naufragium eluctatus, quo e-
 mari in oram projectus sola divina pro-
 tegente dextera servabatur, tandem
 Madrito in Franciam sex Moniales The-
 resiano Spiritu ac Zelo plenas deduxit,
 quæ annuente Ludovico XIII. & ap-
 probante Clemente VIII. destinatum
 Monasterium anno Christi millesimo
 sexcentesimo quarto ingrediebantur:
 Nec tamen hac in re deerant Berullio
 adversitates quamplurimæ, individux
 operis ad Dei obsequium præstiti pe-
 dissequæ; cum enim præter Galleman-
 dum, & Duvallium, Berullius a Cle-
 mente VIII. hujus Monasterii Regimen
 susciperet, ac insuper Visitator a Paulo V.
 nomi-

Sæc. XVII. nominaretur, varias subire molestias
A. C. 1629 cogebatur, quibus forti animo exant-
 latis Presbyterorum Congregationem
 Oratorii Domini Jesu instituit, suisque
 fociis Anno Domini millesimo sexcen-
 tesimo undecimo Parisiis primum Ora-
 torium aperuit, in novæ Congregationis
 Præpositum Generalem postea electus,
 Romam a Ludovico Galliarum Regæ
 ablegatus, ab Urbano VIII. Papa ne-
 cessariam impetrabat dispensationem
 pro futuro matrimonio inter Carolum
 Angliæ Regem, & Henrieta Ludovici
 Regis Sororem, quam Regis jussu
 in Angliam comitatus in Religione Ca-
 tholica firmabat: inde reversus ad Re-
 ginæ Matris preces Purpara, quæ ta-
 men nec ei, nec ejus amicis profuit,
 ab eodem Papa decorabatur. Hac di-
 gnitate auctus a consuetis pietatis exer-
 citiis, humilique vivendi more nihil
 remisit; Versabatur in Regis aula, non
 ut favores aucuparetur, sed ut verbo
 & exemplo vitia eliminaret, ac erroribus
 aditum occluderet: Adversabatur
 acriter Edmundo Richerio, ejusque
 doctrinis; Reginam insuper Matrem,
 apud quamplurimum gratia & autho-
 ritate valuit, Ludovico ejus Filio con-
 ciliavit, bellumque Mantuanum om-
 nibus viribus dissuasit, vehementer re-
 clamante Armando Richelio Cardinale.

qui Berullium veluti auctoritatis suæ Sæc. XVII.
 æmulum suspicabatur, eoque fati A. C. 1629.
 functo animi dotibus ac fortuna superior
 potissimas in Regni curis partes sibi soli
 vendicabat. Tandem Berullius, dum
 sacrum in suo Sacello celebrabat, in-
 ter hæc Canonis verba: *Et hanc obla-*
tionem servitutis nostræ, die secunda Octo-
 bris Parisiis Aulæ & Orbi ereptus fue-
 rat; de qua morte, inquit Gramondus,
ambigue dictum, an suo, an alieno fato
perierit, id omnino certum, tum in
pleno fuisse omnia Richelio Cardinali, post-
quam in ipso Altari vitam finierat iste
Armandi æmulus anno ætatis suæ quin-
 quagesimo quarto. Scripsit sermones
 de Sanctis, variosque libellos de rebus
 Fidei controversis, alios de Theologia
 Mystica præter discursus de Beatissima
 Virgine, quam semper singulari pro-
 secutus est pietatis affectu, ac septen-
 nis adhuc puer Virgineæ Matris puri-
 tatem æmulaturus, perpetuæ castita-
 tis voto sese obstrinxit.

§. LXXVI.

Facultatis Theologicæ Parisiensis cen-
sura in librum Jacobi Gaffarelli.

Tanta erat illo ævo in Galliis libros Argentre
 edendi libertas ac facilitas, ut omni tom. 2. Con
 pene die nova prodierent luxuriantium cl. S. Fa-
 cult. Tu.
 inge- pag. 285.

Sæc. XVII. ingeniorum monstra, quibus Ecclesie
A. C. 1629. Sanctitas profanata, Regum auctoritas

~~vilipensa, fidelium mores depravati~~

Vid. supra Regnum perversis doctrinis infectum
l. 194. §. 86. & pax, quiesque publica interturbata
t. 57. p. 646. erat: Unde Ludovicus Franciæ Rex

ut invalescenti huic malo potentius op-

poneret remedium, die decima quinta

Januarii gravissimis interdixit pœnis

ne Typographi prælo subjicerent, ne

Bibliopolæ aliique quemcumque librum

absque Authoris & Typographi nomine

Regiæque licentia venderent, hæc te-

men ipsa licentia non concederetur

nisi prius codex calamo exaratus Can-

cellario exhibeatur, atque a deputatis

Censoribus mature discussus approbe-

tur. Verum hæc Regii edicti severi-

tas effrænem scriptitandi, librosque

perniciosos vulgandi intemperiem se-

dare haud poterat, minus vero liberam

antea impressorum invectionem coer-

cere: Unde Theologicæ Parisiensis Fa-

cultati, quo suum studium & vigilan-

tiam contra ejusmodi libros exerreret

ocasio haud defuit: Ad eandem quo-

que hoc anno liber, cui titulus: *Cu-*

riositates inauditæ deferebatur, quem Ja-

cobus Gaffarellus Vir in Orientalibus

linguis & Caballisticis aliisque scientiis

versatissimus vulgaverat. Hunc vero

partum Doctorum examini subjectum

cel-

censuit Facultas, omnino esse præso- Sæc. XVII.
 candum, eoquod doctrinam falsam, er- A. C. 1629.
 roneam, scandalosam, sacris literis adver-
 sam, in sanctos Patres contumeliosam, in-
 super & superstitiosam Christianæque sim-
 plicitati maxime nocivam contineret: Au-
 thori tamen in reverentiam Richelii
 Cardinalis, apud quem Gaffarellus
 Bibliothecarium agebat, promisit Fa-
 cultas, ut si intra Kalendas Septem-
 bris perversa hujus libri dogmata eju-
 raturus sit, pronuntiatae censuræ labem
 Facultas remove vellet: Præstituta
 die Gaffarellus palinodiam quidem ex-
 hibuit, quæ tamen Facultati minus
 probabatur, eoquod Author dogmata
 sua plene non retractasset, nec etiam
 censuras suo libro iniustas revocationi
 suæ addidisset, ni igitur mox publico
 scripto, se id ex Facultatis præscripto
 facturum, declararet, censuram esse pro-
 mulgandam, pronuntiabat Facultas.
 Percepta hac sententia Gaffarellus li-
 bri sui doctrinam die quarta Octobris
 hac formula revocavit: *Ego Jacobus
 Gaffarellus sacrae Theologiae Facultatis Do-
 ctor in Academia Valentiana, & Doctor
 in iure Canonico Academicæ Parisiensis,
 author libri inscripti: curiositates inau-
 ditæ omnes, quorum interest, certiores facio,
 mihi nec esse nec fuisse unquam animum,
 ea quæ scripsi, docendi asserendique, sed*
 nar-

Sæc. XVII. A. C. 1629. *narrandi tantum referendique, velut
collectas ex Arabum, Hebræorumque libris
opiniones, eaque de causa me Lectori, pro
fatum tantum illis me fidem habere, qua
tum adhibendum Sponsa Christi Ecclesie
Catholica Apostolica Romana suadet,
statque, cum vero a Theologiae Parisiensis
sacræ Facultate admonitus fuerim, plerumque
que ex citatis opinionibus Ecclesie adverte
re jectas damnandasque esse; Ego ex
dem facultatis decreto, publico hoc, ac
lemni scripto easdem improbo, rejicio atque
damno. Et quia etiam nonnulla deprehendi
dit sacratissima Facultas, in quibus ex
propria animi sententia locutus sum, & quæ
eodem modo damnanda, & reprobanda
sunt, ea similiter damno & reprobo.*

§. LXXVII.

*Ejusdem Facultatis censura adversus
Petri Picherelli opuscula de
Eucharistia.*

*Argentre
h. c. p. 185.*

Pari Zelo Facultas Theologica die
prima Septembris Petri Picherelli Ni
nachi Castro - Theodoriciani opusculum
Theologica contra S. Eucharistiam
quæ hoc anno Andreas Rivetus Ca
vinista Lugduno - Batavis literis recu
curabat, tanquam Calvinismo, & ne
ria hæreseos lepra penitus infecta damna
vit, hancque suam censuram, ne quæ

incantus impingat, ac quasi in procella Sæc. XVII.
 navim suæ conscientie illidat & circumve- A. C. 1629.

niatur errore in astutia & Authoris ne-
 quitia, evulgandam censuit, hoc te-
 nore: Prospiciebat velut e specula supre-
 mus ille vertex Apostolorum Beatus Pe-
 trus, futuros aliquando Magistros menda-
 ces, qui eum, qui emit eos, Dominum ne-
 garent, superducentes sibi celerem perditio-
 nem, quæ non dormitabit. Nempe hi sunt
 fontes sine aquis, & nebulæ turbinibus agi-
 tata, quibus melius erat non cognoscere
 viam justitiæ, quam post agnitionem retror-
 sum converti; pellicientes animas instabiles.
 Ex istorum hominum genere in hoc judicium
 præscriptorum exiit quidam Picherellus
 Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ deletor,
 qui Opuscula quædam Theologica contra
 sacrum Missæ sacrificium, & cultum ima-
 ginum a multis annis consarcinavit, & in
 eis impotentis ingenii sui quasi feri maris
 desuperavit confusiones, & tumentes fluctus
 sui confregit, atque opuscula ista situ &
 carie exesa, nescio quinam, similibus in-
 temperiis acti, & perciti, apud Lugdunum
 Batavorum nuper recuderunt; propterea
 sacra facultas Theologiæ Parisiensis, quæ
 fida Custos Israel, non dormitabit unquam,
 neque dormiet, quia non dormitat, neque
 dormit, qui impugnat Israel: id primum
 curæ semper sibi credidit dari a Deo, & a
 sanctâ Sede Apostolica, ne fideles exerrera-
 rent

Hist. Eccles. Tom. LIX.

R

rent

Sæc. XVII. A. C. 1629. *rent in invio, & non in via, aut effu-
sicut parvuli fluctuantes & circumferrentur
omni vento doctrinæ. Ordinariis ergo Co-
mitiis suis in Collegio Sorbonæ habitis: pro-
quam Syndicus Kalendis Julii facultatis
monuisset, exitiosum librum istum com-
passim & vulgo, & duo Doctores, quibus
tum primum Provinciam dederat facultas
cernendi illum & examinandi, sequentibus
Kalendis Augusti fideliter retulissent de primis
& perversa, qua scatet, doctrina: re
deliberandum a Venerando Decano proposuit
omnes & singuli Magistri condemnarunt
brum istius perduellis Picherelli opusculum
istis compactum, & censuerunt esse nefarium
putente hæreseos Calvinianæ lepra ubique
interpunctum, & olere ut antrum Tartari.
Et hanc suam Censuram ubi relegit & con-
firmavit sacra facultas Comitiis prima Sep-
tembris die, voluit etiam typis imprimi
excudi: ne boni omnes & domestici
forte illidant, quasi in procella navim
conscientiæ, & dolosi, ac venefici istius
libri lectione circumveniantur in astutia &
nequitia authoris; Sermo enim hæretico-
rum serpit ut cancer: & hæresis pestis
adhæret labris, adhæret libris, solo collo-
quio inspiratur.*

§. LXXVIII.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

Richelii Cardinalis sollicitudo circa hæc verba, Decretis summorum Pontificum, jramento apponenda.

Antiqua erat Sorbonæ consuetudo, vi *Argentrel.c. Vid. Supra l. 196. §. 36. i. 57. p. 470.* cuius ad primam Doctoratus lauream promovendi hac juramenti formula utebantur: *Ego protestor me nihil dicaturum, aut scripturum, quod adversetur sacra Scripturæ, Conciliis Oecumenicis, Decretis summorum Pontificum, necnon decretis Almæ facultatis Parisiensis Matris mee, quibus adhæreo & adhærere intendo, & si quid inter respondendum, vel alibi mihi exciderit, quod his adversetur, pro non dicto haberi volo.*

Cum autem novissime, postquam Facultas Testesortii propositionem proscripterat, hæc verba: *decretis summorum Pontificum*, a quibusdam Baccalaureis proprio arbitrio prætermitti animadverteret Georgius Frogerus Facultatis Syndicus, hinc in publicis Sorbonæ comitiis postulabat, ut ad servandam uniformitatem antiquo jurandi modo una omnes uterentur. Obstabant tamen nonnulli, apud quos falsa opinio, quasi per Pontificum decreta Gallicanæ libertates, Regumque jura fuissent

R 2

sent

Sæc. XVII. sent labefactata, prævaluerat. Hi
 A. C. 1629. go præprimis opponebant, quod hæc
 verba: *Decretis Pontificum* in veteri
 mula olim recognita sit, illa per
 cultatem approbata, necnon Senatu
 decreto die vigesima septima Junii an
 no Christi millesimo quingentesimo
 octavo fuisset firmata, non tamen hæc
 beretur expressa, sed primum tempo
 ris progressu addita: Proferebant inibi
 per varia Pontificum decreta^(*), in
 quæ, quantumvis Facultatis Theol
 gicæ principiis contraria, Baccalauri
 jurare obstringerentur. Insuper ipse
 met Decanus, priusquam in comitiis
 desuper deliberaretur, palam profite
 batur, quod ægerrime ferret, quod hæc
 inconsulto Frogerus tanti momenti ne
 gotium circa hoc juramentum propo
 fuisset

(*) *Ex cap. unam sanctam 1. extra de Ma
 jorit. & obed. ex Bull. Paul. IV. quæ incipit
 Cum ex Apostolatus Officio: Pii V. Mon
 proprio, & si de protegendis, & Statu
 necnon Sacrosanctæ Romanæ: Ex Decret. cap.
 Alius 15. q. 6. cap. Sanctorum 15. q. 6. cap.
 Juratos ibid. cap. Satis 7. dist. 96. cap. Excom
 municamus 23. q. 5. cap. aliorum 9. q. 3. cap.
 nunquam 12. dist. 96. cap. cuncta 9. q. 3. cap.
 Constantinus 13. dist. 96. Decret. l. 1. de Ma
 jor. cap. sollicitæ. 6. c. 13. Excomm. l. 5. de
 hæret. & cap. Vergentis 10.*

fuisset: quinimo dum de eo deliberari Sæc. XVII.
 cæptum est, Hieronymus Parentus A.C. 1629.
 Doctor, ne ejusmodi negotium pertra-
 ctaretur, postulavit, comminatus, se
 fecus ad Senatum provocaturum, prout
 etiam reipsa fecit: Fervente hoc dissi-
 dio Richelius Cardinalis die vigesima
 quarta Novembris Pescantium Sorbo-
 næ Decanum, Duvalium, Mauclerum,
 Richerium, aliosque octo Doctores ad
 ædes suas convocabat, ac unanimi
 omnium suffragio præfata verba jura-
 mento omnino esse addenda declara-
 bat, exclusis duntaxat decretis, in qui-
 bus Reges exauctorandi jus sibi arro-
 galle, dicebantur Pontifices. Re com-
 perta Facultas Theologica die prima
 Decembris sequens decretum condidit:
 „Facultas in primis re mature delibe-
 „rata censet, ac decernit, ut Bacca-
 „laurei ad conservandam juramenti uni-
 „formitatem, & animorum unionem
 „veteri formula jurandi utantur: eo-
 „que libentius hoc statuit, quia sub
 „tali formula Baccalaurei disertis ver-
 „bis profitentur, se adhærere decretis
 „ejusdem facultatis, in quibus statui-
 „tur, ne quid contra jura Regis & Re-
 „gni dicatur & doceatur: quæ quidem
 „Decreta modo facultas confirmat, &
 „quatenus opus sit de novo condit, vult
 „que stricte observari, atque ut hujusce
 R 3 „præ-

Sæc. XVII. „præsentis statuti semper meminerint
 A. C. 1629. „quo decernitur, ut sub hac forma
 „protestatio fiat ab omnibus, neque
 „accurata illius observatione unquam
 „deflectant, monebuntur Baccalarii
 „a Syndico, a Magistro suorum studio-
 „rum Directore & ab Apparitore.„

Hoc decretum die secunda Januarii
 anno hujus sæculi trigesimo in vima
 legis Sorbonicæ transibat, tribus non
 nisi Doctoribus sese opponentibus.

§. LXXIX.

*Declaratio Edmundi Richerii circa
 librum suum de Ecclesiastica
 & Politica potestate.*

*Abrege de
 l'hist. Eccl.
 tom. 10.
 Argentre
 l. c. 302.*

Ab eo tempore, quo Edmundus Ri-
 cherius Presbyter ac sacræ Facul-
 tatis Parisinæ Doctor suam doctrinam
 ac præcipue librum suum *de Ecclesi-
 astica potestate* in Galliis evulgaverat, ex
 ipso hujus libri interdicto, ac novite-
 tum prurigne tantopere acuebatur ce-
 villantium libido, ut juniorum quam-
 plurimi sub specioso libertatis Gallica-
 næ, regiæque auctoritatis tuendæ ob-
 tentu Ecclesiasticam potestatem peni-
 tus eliminare molirentur. Ea doctri-
 næ perversitas intimo doloris sensu le-
 niabat Viros periculi inde orituri probe
 conscios, præcipue vero Andreæ Du-

vallium

vallium Sorbonæ Doctorem, & Richerium Cardinalem, qui Richerium tam perniciosi schismatis Auctorem ad saniora reducere, totis viribus nitebatur. Postquam igitur compertum habebat, quod exauctoratus hic Syndicus, re divina vix peracta, hoc anno die decima Junii in gravissimum incidisset morbum, ac sacro Viatico præmuniri petisset, mox Duvallium ad eundem ablegabat, qui eidem exponeret, illum tanti Sacramenti indignum esse, nisi prius errorum revocatione scandalum tolleret: Richerio hæc monita flocci habente, Cardinalis Richelius sollicitè præcavebat, ne saltem exempli pravitate ceteri Sorbonæ Doctores a sanæ doctrinæ & veritatis studio averterentur. Insuper Cardinalis Richelii Zelum acribus stimulis incitabat Apostolicus Papæ Nuntius. Sub idem quoque tempus Richelio Cardinali opportuna sese offerebat rei exequendæ occasio; die enim decima octava Novembris duodecim Facultatis Theologicæ Doctores illum accesserant, grates eidem repensuri, eoquod Sorbonæ Collegium Regis ferme sumptibus restaurasset: hac igitur temporis opportunitate usus Cardinalis, Doctoribus exposuit, quod nil ardentius percuperet, quam ut schismate sublato deinceps Facultas Theologica

Sæc. XVII. logica ad pristinam revocaretur concordiam, ipse vero turbarum fautores acriter infectari statuisset. Ne autem inter minas hæfisse videretur, die quarta Decembris Carolum Talonum famulum Gervasii Parochum ad Richerium decrevit, qui eidem declarationem a Cardinale confectam exhibens peteret, ut eam proprio chirographo muniret. Ad hæc Richerius hanc declarationem scriptotenus communicari, suamque mentem Cardinali desuper pandendi libertatem spatiumque concedi flagitabat, qua concessa Richerius altera die eandem declarationem suis exhibuit amicis, quin tamen illam rejiceret, Cardinalis potentiam, necnon Senatus, Aulicorumque indignationem veritus. Tertia post die Tallonus illum curru ad Cardinalis Palatium deportavit, ubi Pater Josephus Capuccinus, qui tum maxima auctoritate in Galliis valebat, ex condicto præfens aderat. Variis ultro citroque prolatis tandem Cardinalis Richerio exposuit, Regem jubere, ut ipso præfente declarationem subscriberet: Richerius haud ultra resistendum ratus, nomen suum sequenti apposuit declarationi.

„Ego Edmundus Richer, Presbyter Diæcesis Lingonensis, Doctor sacræ facultatis Theologicæ Parisiensis, &

„magnus Magister Collegii Cardinalitii Sæc. XVII.
 „Universitatis Parisiensis subsignatus: A. C. 1629.
 „cum perspexerim quasdam Propositio-
 „nes libelli a me scripti anno millesimo
 „sexcentesimo undecimo, de Ecclesia-
 „stica & Politica potestate, in malam
 „partem acceptas: hinc protestor & de-
 „claro, me semper voluisse, atque e-
 „tiam nunc velle, & meipsum, & li-
 „bellum præfatum, quascunque ejus
 „propositiones, earumque interpreta-
 „tionem, omnemque meam doctrinam
 „Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & san-
 „ctæ Sedis Apostolicæ judicio subjicere;
 „quam Matrem & Magistram omnium
 „Ecclesiarum, & infallibilem veritatis ju-
 „dicem agnosco, ac protestor, me perma-
 „gnum concepisse dolorem, aliquas pro-
 „positiones memorati libelli sic a me
 „esse conscriptas, ut occasionem offen-
 „sionis dederint: quasi justæ & legi-
 „timæ potestati summi Pontificis, &
 „dominorum Prælatorum Ecclesiæ ali-
 „quid diminutum, aut detractum vel-
 „lem, licet talis intentio mea non fue-
 „rit: quas quidem propositiones, qua-
 „tenus Ecclesiæ Catholicæ, Aposto-
 „licæ, & Romanæ judicio, ut sonant,
 „contrarias vehementer improbo & con-
 „demno. Quam declarationem, pro-
 „fiteor me libere ac voluntarie edidisse,
 „ut mea erga sanctam Sedem Aposto-
 „licam

Sæc. XVII. „licam obedientia cunctis pateat: eam
 A. C. 1629. „que inter manus illustrissimi Domini
 „Cardinalis de Richelieu, Provisori
 „Sorbonæ consignandam censuisse, pro
 „ratione observantiæ, & debiti me
 „erga eundem Dominum illustrissimam
 „Cardinalem, in cuius rei fidem,
 „testimonium, præsentem declaratio
 „nem, & Protestationem concep
 „meaque manu scripsi, & obsignavi
 „anno Domini millesimo sexcentesimo
 „vigesimo nono, die veneris septim
 „Decembris, præsentibus Magistro Ca
 „rolo Talon Paræco sancti Gervasii Pa
 „risiensis, & Patre Josepho Parisien
 „Ordinis Capuccinorum. „ Signatum
 erat ab ipso Richerio, Talono, & Jo
 sepho.

Postquam igitur Richerius huic de
 clarationi chirographum suum appose
 rat, Cardinalis eidem exposuit, illam
 quoque a duobus Notariis firmandam
 esse: Eadem igitur die Coustartus de
 Jutetus forensi instrumento testabantur
 quod Richerius, qui adhuc præsens
 erat, ultro confessus sit, quod ipse con
 tenta in hac declaratione scripsit
 suoque chirographo firmarit. Postea
 Papæ Nuntius subscriptam hanc Ri
 cherii declarationem Romam misit.

Ut vero Richeristæ huic revocationem
 omnem vim adimerent, in vulgus spars
 erunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

fere, quod Richerius jam die trigesi-
ma prima Augusti anno Domini mil-
lesimo sexcentesimo vigesimo quinto,
ne contrariæ declarationi fors violen-
ter extorquendæ fides haberetur, scri-
ptotenus immotæ suæ sententiæ testi-
monium ediderit, his verbis: *Ex præ-*
teritis de futuris prospicere docemur, ne
ergo ullus supersit ambigendi locus, a Du-
vallio & Mauclero scriptam quamdam de-
clarationem sub Gammachi nomine fuisse
suppositam, eo fine, ut Procerum molimine
& Romanæ Curiaë opera Richerii hostes,
qui Barberini Cardinalis Franciaë Legati,
& Papæ Urbani VIII. Nepotis adventu
plurimum invaluerunt, novos Richerium
vexandi obtentus nanciscerentur, proin ti-
mendum sit, ne ad revocationem, quam ejus
inimici toties vi metuque in Virum constan-
tem cadente extorquere nitebantur, illum
compulsuri sint, hinc impense Richerius om-
nes illos, qui de eo sermones fieri audient,
admonitos vult, quod ipse post imploratam
Dei opem, & Spiritus sancti assistentiam,
corpore & mente integer, in ultimæ suce-
voluntatis testimonium, sequentem declara-
tionem scripserit, suaque manu firmarit:
Si fors ad tantas redigendus forem angu-
stias, ut librum meum de Ecclesiastica
Potestate &c. revocare, mutare aut de-
clarationi meæ die postrema Junii anno hu-
jus sæculi vigesimo secundo eorum duobus
Nota-

201/1011
11. 1629

Sæc. XVII. *Notariis factæ quicquam contrarium prof-
 A. C. 1629. teri compellerem, id omne tanquam rem
 me minis, metuque in constantem Virum
 cadente violenter extortum diffiteor, repro-
 bo ac rejicio, & declaro jam prævie, quo-
 cunque meo nomine eo fine fuerint divulgata
 esse falsa, supposititia & nulla, illaque
 utpote a me nunquam factis ullam fidem ad-
 liberi nolo, nisi saltem prius propositionum
 mei libri, prout sæpius petii, scriptotenu
 explicandi libertas concedatur.,*

*Morisots
 Cent. II. ep.*

Novam hanc protestationem a Ri-
 cherio, priusquam Richelii Cardinalis
 Palatium accessisset, typis fuisse edi-
 tam, suoque Testamento appositam,
 fingebant Richeristæ, quinimo addi-
 dere, quod instante Richelio Cardinale
 Urbanus Papa Notarium Apostolicum
 Parisios decreverit, ac paucis post ejus
 adventum diebus Duvallius Richerium
 in festo Pentecostes ad Patris Josephi
 ædes pransum invitavit, confectoque
 prandio eidem significavit, ut ipse men-
 tem suam circa summi Pontificis aucto-
 ritatem sincere aperiret: Richerius au-
 tem hunc advenam esse Notarium Pon-
 tificium ignorans, moderate ac distincte
 suas sententias exposuerit; mox autem
 facto in eum impetu Pater Josephus
 Richerio scriptam retractationem ex-
 hibuerit, alta voce exclamans, *nunc
 tibi vel moriendum, vel retractandum est*
 qui

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

quibus prolatis verbis confestim quatuor proruperint sicarii, quorum alter pugionem pectori, alter dorso tamdiu intentarint, donec Pater Josephus supposito hoc scripto Richerium ad damnandum librum suum, firmandamque palinodiam compulisset. Hæc illi, ex Morisoti epistola die 25. Aprilis anno 1633. data, quæ tamen omnia fabulam nequiter consarcinatam sapere videntur: quodnam enim est illud ingens commodum, quod aut Sedis Apostolicæ authoritati, aut Reipublicæ Christianæ vel Clero Gallicano, accedere potuisset ex eo, quod Richerius doctrinam suam, quæ tamen in suo libro contenta passim in omnium manibus versabatur, revocasse diceretur? cur autem apud alios Historicos de hac violentia nulla fit mentio? cur ipsemet Richerius in suo testamento, in quo tamen ceteras vexationes *per viginti circiter annos* exantlatas exacte refert, de immixtis Sicariis altum tenet silentium? Præsentem tum duntaxat Duvallius, Notarius & P. Josephus cum quatuor Sicariis fuisse finguntur, ex his certe nullus hanc violentiam manifestavit, unde ergo ad Richeristas illius notitia? fors ipsemet Richerius id suis manifestavit? cur autem hi eo adhuc septem Menses vita superstite, vel saltem post ipsius

Sæc. XVII. ipsius obitum de illata vi nec apud Se
 A. C. 1629. natum Regium, Sorbonam, nec ipsum
 Regem vel Reginam Matrem Cardinali
 Richelio summopere infensam quæ
 sunt, cur primum quarto post anno
 Morisotus hanc fabulam in vulgus spar
 sit? qua ratione idem Morisotus in
 præfata epistola asserere potuit, quod
 Richerius de sibi illata hac violentia
 mox ad ipsum perscripserit, ac biduo
 post repentina morte fuerit sublatus,
 cum tamen Richerius primum anno
 1631. die vigesima octava Novembris
 decesserit, & Morisoti epistola die vi
 gesima quinta Aprilis anno 1633. scripta
 referatur: Insuper in Morisoti epistola
 dicitur, quod Richerius extortam hanc
 palinodiam in festo Pentecostes anno
 1633. cecinerit, & tamen ibidem huius
 ipsi palinodiæ adscripta dies legitur se
 ptima Decembris anno 1639. Demum
 in eadem Morisoti epistola narratur,
 Richerium vixisse annos octoginta qua
 tuor, cum tamen nonnisi septuaginta
 & unum annos natus obierit. Ex his
 igitur elucere videtur. totam relatio
 nem, ipsamque Morisoti epistolam
 cui innititur, esse supposititiam.

§. LXXX.

Sæc. XVII.
A. C. 1629.*B. Andreae Corsini Canonisatio, &
Cajetani Thienæi Beatificatio.*

Hoc item anno Andreas Corsinus patria Florentinus, atque ex Carmelitarum Ordine Fesulanus Episcopus Sanctorum numerum auxerat: Hic anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, ætatis vero septuagesimo primo die sexta Januarii meritis plenus e vita migraverat, magnisque ac novis indies miraculis rite probatis clarus ab Urbano VIII. Sanctorum fastis die vigesima secunda Aprilis adscriptus est. Demum Corpus ejus, quod Florentiæ in Ordinis sui Ecclesia integrum asservatur, anno Christi millesimo sexcentesimo octogesimo tertio ad magnificentius Sacellum illustrissimæ Corsinorum Familiæ, ex qua Sanctus originem traxerat, sumptibus constructum die vigesima quinta Septembris incredibili pompa transferebatur. Septima autem Octobris die ab eodem Pontifice Beatis Indigetibus annumerabatur Cajetanus Thienæus Nobilis Patritius Vicentinus longe celeberrimæ Congregationis Regularium Theatinorum Fundator, de quo Missam atque officium celebrandi facultatem indulgit Pontifex.

§. LXXXI.

*Bulla Canon. S. Andreae.
Bullar. magn. Const. 126. Urban. VIII.*

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

§. LXXXI.

*Alicæ ejusdem Pontificis Constitu-
tiones.*

*Bull. magn.
Const. Ur-
ban. VIII.
t. 4. Et 5.*

Idem Pontifex Abbatibus Congrega-
tionis Olivetanæ, Congregationis
sanctæ Justinæ de Padua, & Cælestina
Ordinis S. Benedicti indulfit, ut tribus
tantum anni festivitibus Baldachino
uti, atque unum Presbyterum, duos
Diaconos, & præter Diaconum & Sub-
diaconum sex alios Monachos sacris
vestibus indutos sibi assistentes habere
valeant. Die autem ultima Martii Pon-
tifex declaravit, quod Jesuitæ faculta-
te sanctæ Cruciatæ uti, ac vi illarum
diversum ab illo, quem eorum Superi-
ores assignarunt, Confessarium sibi
eligere non valeant. Exemit etiam
die prima Junii Clericos Regulares
Scholarum piarum, quominus ab Or-
dinaris ad publicas supplicationes al-
iosque actus publicos inviti compelli
possint, ut puerorum eruditioni & in-
stitutioni eo expeditius invigilare, ani-
marumque saluti consulere valeant.
Die autem decima octava ejusdem
Mensis declaravit Pontifex, quod nec
F. F. Carmelitis, Prædicatoribus, nec
aliis quibuscunque utriusque sexus Re-
ligiosis Bulla Cruciatæ quoad facultatem

tatem eligendi Confessarium & absol- Sæc. XVII.
 vendi a casibus reservatis ullo in loco A. C. 1629.
 suffragetur, sed ejusmodi Religiosi quan-
 tum ad Sacramentum Pœnitentiæ or-
 dinariæ dispositioni suorum Superiorum,
 & Sedi Apostolicæ quoad sibi reservata
 subjecti sint. Denique die vigesima se-
 cunda Novembris Pontifex universale
 quindecim dierum Jubilæum indixit ad
 divinam opem pro imminentibus in di-
 versis Christiani Orbis partibus, pericu-
 lis efflagitandam.

§. LXXXII.

*Diversæ Sacrarum Congregationum
 decisiones jussu ejusdem Pontifi-
 cis promulgatæ.*

Pauca hoc anno emanata exstant Sa- S. Congr.
 crarum Congregationum decreta, Rit. Episc.
 inter quæ tamen celebratur Constitutio Regul. decis.
 jussu Urbani VIII. die trigesimo Januarii Barbos. in
 edita, qua declaratum, quod appro- Concil. Sess.
 bationem ab Episcopo obtinentes ad 23. de ref.
 certum tempus, eo elapso non possint cap. 15. n. 45.
 confessiones audire absque nova Epi-
 scopi ipsius licentia & approbatione,
 prævio etiam, si eidem libuerit, novo
 examine: illi vero, quos ipsemet Epi-
 scopus ad confessiones hujusmodi au-
 diendas semel admisit simpliciter, ac
 sine ulla temporis præfinitione, nulla-
Hist. Eccles. Tom. LIX. S tenus

Sæc. XVII. tenus possint ab eodem reprobari sine
 A. C. 1629. nova caussa, eaque Confessiones ipsos
 concernente; ceterum an eadem caussa
 subsit, necne, Episcopus non teneatur
 ipsis Regularibus manifestare, sed Sedi
 Apostolicæ duntaxat, ubi hæc eam sibi
 aperiri postulaverit.

Sacra etiam Rituum Congregatio
 die trigesima prima Martii decidit, quod
 celebratio Missæ in Oratorio Ruri ædifi-
 ficato per laicum non possit prohiberi,
 antequam celebretur Missa Parochialis.
 Legimus quoque a S. Congregatione
 Episcoporum die sexta Aprilis declaratum,
 quod Presbyteri sæculares non
 Confessarii, & Confessarii Regulares
 sed non Parochi hortandi quidem, non
 tamen cogendi sint, ut intersint discul-
 sioni casuum: Die vero decima octava
 Aprilis sacra rituum Congregatio sta-
 tuit, quod Sanctimoniales in *Confiteor*
 non dicant *tibi Mater*, nec *vobis Sorores*:
 sequenti autem die decidit, quod
 Processio in festo Corporis Christi a Ca-
 thedrali seu Matrice Ecclesia inchoetur,
 & ad eandem terminetur. Exorto etiam
 dubio in Laudensi Diæcesi Congregatio
 declaravit, quod absolutio ab Excom-
 municatione non profit, nisi secuta res-
 titutione, & redintegratione Ecclesiæ.
 Denique die vigesima tertia Novembris
 sacra Episcoporum Congregatio decre-
 vit.

vit, quod Regulares ab Episcopo an-
tecessore prævio examine approbatos
ad personarum sæcularium confessiones
audiendas possit modernus Episcopus
pro majori conscientie suæ quiete ite-
rum examinare, & si minus idonei re-
perti fuerint, reprobare.

§. LXXXIII.

*Bethlemi Gaboris seu Gabrielis Tran-
sylvaniæ Principis obitus.*

Per idem tempus die quinta Novem-
bris Gabriel Bethlenius Transylva-
niæ Princeps hydropisi obiit annos na-
tus quadraginta novem: Hic uti toto
vitæ suæ tempore varius, & incon-
stans erat, ita & in ipsa morte sua pla-
ne mirabilis exstitit, dum enim Au-
striacam domum vivens assiduis seditio-
nibus ac perfidiis vexaverat, moriens
Ferdinandum III. Cæsaris Filium Hun-
garie Regem, ipsumque Imperatorem
tanto honore prosecutus est, ut dubium
relinqueret, an amicum vel hostem
Cæsar amitteret; quippe præter octo-
ginta aureorum millia, tam Cæsari
quam Ferdinando Regi generosum e-
quum cum pretioso gemmisque di-
stincto apparatu legaverat, Imperato-
rem præclaro hæc elogio honorare so-
litus: *difficilem ac dubiæ alexæ plenam rem
esse,*

Sæc. XVII. esse, oppugnare Ferdinandum, quem in
A. C. 1629. adversa dejicerent, nec prospera extollerent.

Conjugem quoque suam Catharinam
Joannis Sigismundi Brandenburgici Ele-
ctoris Filiam, quam triennio nondum
evoluto duxerat, Cæsaris patrocini-
commisit, Turcarum vero Imperator
exequendæ supremæ voluntatis suæ
curam reliquit, cujus etiam patrocini-
nio suffultus Georgius Ragotius Beth-
lenio successit, a quo tamen Ferdinan-
dus Cæsar missis Cassoviam Legatis
ditiones Bethlenio ad dies vitæ con-
cessas repetiit.

§. LXXXIV.

Scriptorum quorundam Catholicorum mors.

*Aubert.
Mir. Script.
Sæc. XVII.
Andr. Bibl.
Belg. Mo-
rinus exer-
cit. bibl.
l. I. cap. 2.*

Inter Scriptores Ecclesiasticos Religio-
ne Catholicos hoc anno plures obite-
re, ex quibus tamen lucubrationibus
in Ecclesiæ utilitatem vulgatis cele-
briores adducere lubet, & primus quo-
dem erat Guilielmus Gifford Ord. S.
Benedicti Rhemensis Archiepiscopus
qui præter varios sermones, sub nomine
Reginaldi suum Calvino - Turcismum
seu Calvinianæ perfidiæ cum Mahome-
tana collationem, necnon suppositum
Rossæi nomine edidit librum de justis
in Reges impios & hæreticos animas
veritas

versione. Decessit die undecimo Aprilis annos natus septuaginta sex. II. *Sæc. XVII. A. C. 1629.*

Nicolaus Crusanus Mosæ Trajectensis FF. Eremitarum S. Augustini S. Theologiæ Doctor Papiensis, Ordinis sui Visitator Generalis Viennæ die decima Novembris obiit, qui Ferdinando II. Cæsari ab Historiis & a Consiliis edidit Monasticon Augustinianorum. III. Ex eodem Ordine die vigesima octava Augusti ferme sexagenarius decessit Basilius Pontius Legionensis, qui eloquentiæ fama clarus, juvenis adhuc sermones quadragesimales edidit: adultior autem factus percelebre conscripsit opus de Matrimonio præter apologiam juramenti, quo de tuenda SS. Augustini & Thomæ doctrina Salmanticensis Univeritas sese obstrinxit. Exstant quoque variae illius disputationes ex Theologia Positiva &c. præter tractatum de Sacramento Confirmationis. IV. Nec minus nobile Ordinis sui decussitit Antonius Kerbechius Lovaniensis Doctor, ac Theologiæ Professor Moguntinus, qui tractatum de Sacramentis Veteris & novæ Legis, necnon Colloquium cum Calvinista quodam, aliæque opuscula publici juris fecit. V. Joannes Centurella ex clarissima Theatinorum Congregatione, qui monita adversus sermones inhonestos, necnon

Vid. supra l. 196. t. 58. §. 105. pag. 736.

Sæc. XVII. tractatus de blasphemix malitia & re
 A. C. 1629. mediis, præter plures sermones editi.

VI. Ludovicus de Quiros Ord. Cisterciensium, qui commentarios in Prophetas minores, & in epistolas D. Pauli necnon *Rempubicam Monasticam* posteris reliquit. VII. Dominicus Garziz Complutensis linguarum Professor, & fidei Inquisitor in Arragonia. Edidit propugnaculum Religionis Christianæ contra Judæos, & discussionem inextricabilium quæstionum ex Genesi. VIII. Otto Vænius Lugduno-Batavus qui vitam D. Thomæ Aquinatis, Emblemata Divini & humani Amoris conclusiones Theologicas de primariis fide capitibus, Emblemata Viris Ecclesiasticis usurpanda præter quam plerima alia conscripsit. IX. Franciscus Swertius, eruditus Mercator, qui narrationes historicas in Deorum capita descriptionem totius Belgii, selectas Orbis Christiani delicias, Monumenta sepulcralia Brabantix, Notas circa tintinnabula, aliosque tractatus elucubravit. X. Joannes Gulonius, qui sub nomine Joannis a S. Francisco notus Regulare Institutum professus, ac supremus Ordinis sui Moderator evehus SS. Basiliæ, & Dionysii Areopagite opera ex Græco Gallice reddidit, ad ditaque apologia illustravit: Calamum quoque

quoque suum exercuit adversus Balzacum & Molinæi librum de vocatione Ministrorum: Exstant quoque sub Phylarchæ nomine duo volumina Epistolarum, præter res gestas, & virtutes S. Francisci Salesii. XI. Joannes Baptista Lauro, qui Urbano VIII. a cubiculis & Cardinalium Collegio ab epistolis scripsit librum de Perusino Annulo pro nobo B. Virginis, Orchestram Theatri Romani, tractatum de Viris Illustribus, præter duas centurias epistolarum. XII. Martinus Groenenschildus ex can- dido Ordine Præmonstratensi Canonicus Tongerloensis, & Harentalensis Præpositus, qui soli Deo & Angelis familiaris, cum plurimas in cælum animas præmisisset, veluti Spiritus sui reliquias aperuit Paradisum Sacrarum meditationum de mysteriis vitæ & Passionis Christi ac Deiparæ, necnon de quatuor novissimis, & de votis Monasticis. Obiit annis meritisque plenus die undecima Junii. XIII. Petrus Bertius, quem ejurato Calvino ad veram fidem fuisse revertisum, jam supra memoravimus. Edidit commentaria rerum Germanicarum, Theatrum Geographiæ veteris, tabulas Geographicas, Breviarium Orbis terrarum, plurimæque alia opuscula. XIV. Angelus Gryllus Congregationis Cassinensis S. Bene-

Sæc. XVII.
A. C. 1629.

*Petr. Wag-
hen. de Il-
lust. Ord.
Præm.
Ephemer.
Hagiol.
Georg. Abb.
pag. 166.*

*Vid. supra
l. 193. §. 15.
l. 57. p. 68.*

Sæc. XVII. dicti Abbas edidit pompam mortis,
 A. C. 1629. pios affectus ad Crucifixum, præter
duo volumina epistolarum.

§. LXXXV.

*Scriptores ex Societate, & Carme-
 litarum Ordine mortui.*

*Alegambe
 Bibl. Script.
 S. J.
 Miræus l. c.
 Dupin Nou-
 velle Bibl.
 des Auth.
 Eccl.*

Fatai legis necessitate pariter hoc an-
 no ex Societate decesserunt Scri-
 ptorum nonnulli & quidem primo. I.
 Andreas Schottus patria Antverpia-
 nus, qui inter ævi sui Criticos valde
 celebrer primus e Græco idiomate Pho-
 tii Bibliothecam latine reddidit, plo-
 resque Sanctos Patres tam Græcos
 quam latinos præcipue SS. Cyrillum
 Gregorium Thaumaturgum, Basilium
 Ennodium, Isidorum Hispalensem, &
 Pelusiotam recensuit, auxit, scholiis
 que illustravit, præter plures alias Pa-
 trum lucubrationes, quæ in magna Pa-
 trum Bibliotheca Coloniensi exstant.
 Obiit Antverpiæ die vigesima tertio
 Januarii. II. Heribertus Rosweidus
 qui vitas Sauttorum ex Authenticis
 monumentis conscripsit, & specime-
 ingentis illius operis dedit, quod post
 modum Bollandistæ profecuti sunt: Col-
 legit insuper vitas Patrum Eremicor-
 um: recensuit quoque Adonis Marty-
 rologium, vetusque Martyrologium

Baronio desideratum notis illustravit, Sæc. XVII.
librum etiam de Imitatione Christi A. C. 1629.

Thomæ a Kempis vindicavit, editis
pluribus aliis opusculis. Decessit nona-
genarius Antverpiæ die quinta Octo-
bris. III. Carolus Scribanus Bruxel-
lis natus, qui Principibus amabilis,
Ecclesiæ utilis ac Calvinistis calamo
terribilis sex libros controversiarum
Antverpiæ edidit, scripsit quoque con-
tra Calvinistarum criminationes suum
Amphitheatrum Honoris, quamvis autem
sub nomine Anagramatico Clarii Bo-
narcii Carolus latere voluerit, non ta-
men declinare poterat vexationes Hu-
gonotarum, qui se contumeliis ac ca-
lumniis affectos questi, librum hunc
flammis tradi, incassum ab Henrico IV.
Galliarum Rege petierunt: Pari me-
thodo scriptus erat illius liber sub no-
mine Romani Veronensis Moguntia
editus, cui titulus: *Ars mentiendi Cal-
vinistica*. Exstant quoque varia illius
opuscula potissimum Exegetica. IV.
Lælius Bisciola Mutinensis, qui libros
XII. scripsit observationum sacrarum,
necnon in Evangelia Mathæi & Joannis,
& in Epistolas D. Pauli præter alios ser-
mones, quos sub nomine Pauli Biscio-
læ fratris sui vulgasse dicitur.

Ex Carmelitarum Ordine occurrunt.

I. Petrus Arcis Gallus Sorbonicus

S 5

Theo-

Sæc. XVII. Theologiæ Doctor, qui duos tomos
 A. C. 1629. Dei Providentia, sermones Adventu-

Vid. supra
 l. 195. §. 26.
 t. 58. q. 79.

les, plurimosque libros de Astrologia
 diversisque aliis argumentis confici-
 psit. Propugnabat etiam in Sorbona
 præter alias Theses Bullam Sabbati-
 nam, quin Facultatis Parisinæ cen-
 sam declinaret. II. Christophorus
 Roy vulgo Aurelianensis, Theologiæ
 Doctor Parisiensis, qui *sacrum Nomen*
Animæ duobus libris distinctum, vitam
 B. Franciscæ de Ambasia Britannia
 Ducissæ postea Fundatricis & Sancti-
 monialis Carmelitanæ, & hortum præ-
 cum S. Theresiæ pro diebus B. Virginis
 evulgavit. III. Raphael a S. Mathæo
 qui scripsit quæstiones Theologicas,
 collectanea e Patribus Græcis præter
 Chronicon Ordinis. IV. Ludovicus
 Perroni Turonensis, qui in Pictaviensi
 Ecclesia Cathedrali & alibi Ecclesiasticis
 munere functus, innumeros pene ad
 Catholicam fidem reduxit, tanta hæ-
 reticorum indignatione, ut Ludovicus
 XIII. Franciæ Rex concionantem mil-
 tum custodia tueri cogeretur. Obiit
 non sine sanctitatis opinione in ipso sug-
 gestu, dum in die Parasceves de Pa-
 sione Dominica concionabatur, apople-
 xia correptus. Posteris reliquit Com-
 mentarios in Mathæum, Alphabetum
 sententiarum Patrum, resolutiones
 sacræ

sacræ Communionis sub utraque specie, **Sæc. XVII.**
 præter tractatum de septem plagis **A. C. 1629.**
 Ægypti. X. Ex Theresianis Moniali-
 bus sanctimonia & doctrina eminuit
 Francisca a S. Sacramento, quæ librum
 edidit, sub titulo: *lumen vivis, expe-*
rientia mortuorum; quam lucubrationem
 Venerabilis Dei Servus Joannes de Pa-
 lafox Osimensis Episcopus, ut suis scho-
 liis illustraret, dignam reputabat. IX.
 Ejusdem Sanctitatis æmula erat Ca-
 tharina a Jesu, quæ tam præclaras
 scripsit epistolas, aliaque pia opuscula
 ut Petrus Cardinalis Berullius illa una-
 cum ejus vita tertio prælo excudi cu-
 raret.

§. LXXXVI.

A catholici Scriptores hoc anno fati-
fundi.

Non desunt etiam ex Scriptoribus A-
 catholicis, qui hoc anno vitam,
 calamumque posuere, & primo quidem
 Leonardus Rechtenbachius scripsit Ana-
 lysin Confessionis Augustanæ, Clavam
 Christi contra Pontificios, Differtatio-
 nem de impulsiva Prædestinationis
 causa præter alia plura. II. Paulus
 Toffanus edidit Biblia Germanica cum
 notis ad marginem, Acta colloquii Ja-
 cobi Regis Angliæ cum Doctore Hoe,
 Reca-

Freher.
Theatr. Vir.
erud. clar.

Sæc. XVII. Recapitulationem Examinis Wirtembergici & Enchiridion locorum communium. III. Joannes Denison, quæ Jacobo I. a Sacellis erat, librum de confessionis auricularis vanitate & Gilli confessionis impietate contra Bellarminum, necnon tractatum de terra vanitate publici juris fecit. IV. Thomas Wegelinus Augustanus vulgavit Relationem Phorcensem de disputatione inter Marchionem Badensem & Lotharingæ Ducem, iudicium de novæ Jesuitarum amuleto contra omnes hæreses, trophæum Augustinianum de S. Scriptura, Judicium de controversia Tubingensi pluraque alia ejusdem argumenti opuscula. V. Joannes Tannovus ridiculum opus conscripsit, cui titulus: *tres Eliæ*, seu comparatio trium Ecclesiæ Reformatorem, Eliæ Theobytæ, Joannis Baptistæ & Lutheri necnon commentaria in Epistolas Pauli, Prophetas & Threnos Jeremiæ præter disputationes Rostochii habitas. VI. Georgius Rostius edidit suum Anticrucium de Auctore peccati, Commentarium in Jeremiam & Cantica, relationem de Neo-Photianis, vaticinium de extremo Judicii die &c. VII. Christophorus Crinesius vulgavit exercitationes hebraicas, disputationem Theologicam de fide Catholica Petri, epistolam

stolam ad Romanos & Titum Syriacam Sæc. XVII.
 &c. VIII. Henricus Iffelburgius me- A. C. 1629.
 dullam Papismi de Judice controver-
 siarum, digeriam controversiarum in-
 ter Pontificios & Protestantes, tracta-
 tum de Jure Protestantium contra Pa-
 pam, pluraque alia publici juris fecit.

§. LXXXVII.

Synodi Osnabrugensis decreta.

Hoc item anno Franciscus Guilielmus Concil.
 Comes de Wartemberg Osnabru- Germ.
 genis Episcopus die vigesima Martii Hartzsh.
 Diæcesanam habuit Synodum, in qua tom. 9.
 Synodi prioris, quam *majorem* vocabat,
 decreta confirmans, ea typis man-
 data a cunctis Ecclesiasticis suis asser-
 vari voluit: condidit quoque aliud de-
 cretum de competente Clericorum ha-
 bitu, demum Catholicos ritus in mor-
 tuorum sepulturis observari, necnon
 eorum, qui in Paschate S. Synaxin re-
 ceperunt, vel recipere neglexerunt,
 indicem fieri, atque ad fidem Catho-
 licorum redeunrium nomina designari
 præcepit.

§. LXXXVIII.

Iprensif Synodi Diæcesanæ Statuta.

Pari

Sæc. XVII. **P**ari Religionis ac disciplinæ Eccle-
 siasticæ studio animatus Georgius

A. C. 1629.

Concil. ib.

P. 493.

Chamberlinus Yprensis Episcopus die
 secunda Octobris Synodum celebrabat
 ac præprimis statuit, ne ullus Paro-
 chus ultra quinque dies a sua Ecclesia
 absit, imo nequidem una die, nisi ab-
 reri idoneo suas vices delegaverit: sa-
 lubriter quoque omnes licentias exor-
 cizandi revocavit, hancque facultate
 tem solis Decanis concessit, quibus et-
 iam, ut juventutem singulis diebus
 Dominicis & festivis doctrina Christia-
 na imbui scholamque Dominicalem eri-
 rigi curarent, serio demandavit. Pro-
 hibuit etiam cantilenas, libellosque
 suspectos venales exponi, vel peregrinos
 absque literis de eorum vita & Reli-
 gione testantibus, ad Parochias ad-
 mitti: Insuper decrevit Synodus, ut
 Moniales, si Eleemosynas colligere per-
 mittantur, nunquam apud Viros per-
 noctent, sed vel ad Religiosas vel ad
 ædes honestæ Matronæ noctu diver-
 tant: inhibuit quoque, ne Parochi-
 minus vero Religiosi secreto S. Hostiam
 ad infirmos deferant. Serio etiam mon-
 nuit Confessarios, ut parce, caste &
 caute interrogent circa peccata carnis,
 nec inquirent in Complicem & poeni-
 tentium nomina, nec mulieres ad ni-
 mis frequenter sibi confitendum invi-
 tent,

tent, nec quempiam inducant ad sibi Sæc. XVII.
 soli confitendum, imo & volentem id A. C. 1630.
 promittere vel vovere prohibeant, mi-
 nus vero aliqua commoda temporalia
 sibi vel suis, occasione confessionis, a
 poenitentibus aucupentur, ne Prædi-
 cantibus similes fierent, qui ex con-
 fessionis nummo vivunt, ac ditescunt.
 Denique statuit, ut in suis concioni-
 bus hæreticarum opinionum argumen-
 ta non referant, ubi autem ea referre
 necesse erit, illa solidioribus duntaxat
 argumentis refellant.

§. LXXXIX.

*Continuata Edicti Cæsarei exe-
cutio.*

Hoc item anno hujus sæculi trigesimo Quæsitores a Cæsare emissi re-
 stitutionis edictum per singulos Impe-
 rii Circulos indefesso studio exqueban-
 tur, ac præprimis quidem juxta hoc
 edictum anni prioris die vigesima Se-
 ptembris Comitibus de Hochenloe in-
 sinuatam, Oringensem Ecclesiam &
 Schaffersheimense Ord. Præmonstr.
 Cænobium unacum annexis Herbipo-
 lensi Episcopo restitui petebant, die
 nona Martii hoc anno pronuntiata de-
 super sententia. Insuper Monasterium
 Horn-

*Acta Her-
 hip. Episc.
 & Præ-
 monst. con-
 tra Comit.
 Hohenl. 1630
 Inform. oc-
 cup. Mo-
 nast. Hornb.
 anno 1631.*

Sæc. XVII. Hornbacense (*) Ord. S. Benedicti
 A. C. 1630. quod olim Bipontini Principes post Palatini
 favientem transactionem occupaverant, Spi-
 rensi Episcopo adjudicatum est, eodemque tempore in Brunsvicensi, Witten-
 bergensi, Magdeburgensi, & Bremen-
 nensi ditionibus bona Ecclesiastica necnon in Stolbergen-
 si Comitatu Ilsebergense Monasterium & Drebecium
 a Cæsareis Executoribus fuere profanis Dominis vindicata: Nec remissius
 Augustæ Vindelicorum decreta restitutio urgebatur, ac die decima octava
 Februarii jubente Senatu Ecclesiarum Administratores cuncta bona, redi-
 tus, ac documenta, quæ eorum cura erant commissa, reddiderunt, die autem
 Martii duodecima Senatus Ferdinandi II. decretum necnon Episcopi
 Augustani monitum promulgabat, quod cujus iterato Lutheranis inhibitum
 ne pro infantum Baptismis, Concionibus, aut nuptiarum benedictionibus

(*) Hoc Monasterium Marquardus Spi-
 rensis Episcopus jam anno Christi 1566. repetiit
 & Imperator Maximilianus illius restitutionem
 Wolfgango Comiti Palatino die duodecima
 Octobris injunxit, quia illud anno 1558. profanis
 Religiosam pacem fuit occupatum, & Absente
 Abate ob negotia absente, anno 1568. reditum
 ad profanos usus impensum fuere.

non sine violata Episcopi jurisdictione, **Sæc. XVII.**
 juriumque Parochialium præjudicio ad **A. C. 1630.**
 Ulmensem & Ottinganam ditiones ex-
 currerent, sed potius ad audiendas
 conciones, Catecheses, remque divi-
 nam Catholicorum Ecclesias adirent,
 ne sensim plebæi *Divini Verbi explicatio-
 ne destituti in Atheismum ac dissolutam vi-
 tæ licentiam degenerent*; jam enim pien-
 tissimus hic Præsul Henricus tum pro-
 be prospexerat, sensim populum a Lu-
 theranismo ad vivendi credendique li-
 bertatem, & tandem potissimos, eo-
 quod errorem agnoscere erubescerent,
 & veritatem amplecti recusarent, ad
 Atheismum deflexuros. Verum adver-
 sus hoc Cæsaris ac Episcopi mandatum
 reclamabant Protestantes, indignati,
 quod Reformationis executio non mo-
 do Duumviris, sed etiam Senatui, in
 quo tamen ex Protestantibus multi
 essent, imponeretur: Postulabant igitur,
 ut Senatus Cæsarem eo inclina-
 re vellet, ne ante *plenam causæ cognitio-
 nem conscientiæ libertate, & Confes-
 sionis Augustanæ usu Imperii Consti-
 tutionibus (utinam a Christo Domino,
 ejusque Ecclesia) stabilito privarentur,*
 vel urbe exulare cogerentur (*): cum
 vero

(* Ad similes rationes antehac anno 1533.
 die

Sæc. XVII. vero Senatus sibi sat perspectum habere
 A. C. 1630. ret. quod nec Concionis Catholicæ
 auditione, nec Ecclesiarum frequentatione eis credendi necessitas fuerit imposita, hinc eisdem die decima non Martii respondit, causa decisa non iactationibus, sed duntaxat obsequio locum superesse. Hoc tamen responso haud contenti Lutherani, declararunt, quod sine conscientia læsione, suorum scandalo, & patrocinium sibi Principum offensione Catholicorum conciones & Ecclesias frequentare haud possent.

§. XC.

*Principum Aatholicorum deprecatione
 pro Augustanis Protestantibus.*

*Acta Evangel. civ.
 Aug. ref.*

Haud parum in sua contra Cæsarem contumacia cives Lutheranos firmabat validi patrocinii fiducia, quam

die decima Martii Senatus Aatholicus surdus habebat aures, omnesque Catholicos ad rogandum Missæ Sacrificium, aliosque Lutheranae sectæ articulos compulit, & Ecclesiasticos non ex Cæsaris mandato, sed proprio arbitrio inter innumeras contumelias, cachinnos, & ludibria urbe eiecit, ac Conciones Catholicum exercitium ubique inhibuit, quibus tamen propterea Catholici ceteros Principes Catholicos ad armatam ultionem concitaverunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

in Saxone & Brandenburgico Electori-
bus, aliisque Principibus Acatholicis
repositam habebant: ex his enim non
modo Fridericus Badensis, & Ludo-
vicus Wirtembergensis Duces datis
litteris Senatam Augustanum ad diffe-
rendam Cæsarei mandati executionem
solicitant, sed etiam Joannes Geor-
gius Saxonie Elector jam tertio apud
Cæsarem pro Augustanis Protestanti-
bus deprecabatur, die decima sexta
Martii datis ad eundem litteris, in qui-
bus recocta antiqua crambe exposuit,
quod Episcopum Augustanum pax re-
ligiosa æque ac ceteros Principes liget,
præcipue cum hic Præsul anno 1613.
in comitiis Ratisbonensibus, ubi hujus
pacis observantia firmata fuit, per suum
Deputatum subscripserit: quoniam ve-
ro tum non de rebus Imperii commu-
nibus, ad quæ Cæsaris auctoritas se ex-
tendit, sed de juribus, bonisque Eccle-
siasticis actum fuerit, quibus utique
nullus Princeps Ecclesiasticus ea pri-
vari potuit absque suo consensu, om-
nino sequitur, quod hæc pax quemli-
bet liget in tantum, in quantum a prin-
cipio in eam consensit, vel contra eam
exceptit, proin hæc pax Episcopum cir-
ca ea, contra quæ reclamavit, non ad-
strinxerit, quoad cetera autem an. 1613.
hujus pacis firmitatem approbarit.

T 2

Postea

Sæc. XVII. Postea Elector exposuit, „quod vi hujus
 A. C. 1630. „pacis quælibet Imperialis Urbs, in qua
 „ante dictam pacem Confessionis Augu-
 „stanæ usus invaluit, in eodem tra-
 „quille servanda sit, Augustæ autem
 „illius exercitium ante hanc pacem non
 „interrupta serie viguerit (*) & Cæ-
 „sares semper Augustanos cives tan-
 „quam Augustanæ Confessionis cultor-
 „res recognoverint, eisque protectionem
 „polliciti sint. „ Cum autem per pactum
 speciale anno 1548. inter Episcopum &
 cives Augustanos, postea anno 1581.
 confirmatum Episcopalis & Ecclesia-
 stica jurisdictio rursus vindicata fuerit,
 per nullos actus juri Episcopi præjudi-
 catum est. Insuper Elector Augustæ
 Lutheranæ Confessionis exercitium
 1582. viguisse probabat, quia 1. Geor-
 gius Myllius acerrimus illius defensor
 tum Augustæ fuerit, & 2. quia speciale
 hoc pactum de anno 1548. per genera-
 lem pacem Religiosam fuerit sublatum.
 Attamen quam infamis Calumniator
 extiterit Myllius, testabantur non mo-
 do Senatores Augustani, sed etiam ipsi
 met Prædicantes (**): de cetero par-
 Rel-

Gegenbe-
 richt der
 H. Pfleger
 etc. wider
 D. Müller.

Vid. supra
 l. 187. §. III.
 t. 54. p. 285.

(*) Vide supra hoc libro §. 50. p. 174.

(**) Contra hunc Myllium Duumviri et
 Senatores Augustani anno 1587. vindicias scri-
 pserunt.

Religiosa specialium pactorum mentio- Sæc. XVII.
nem nullam fecit, nec veteres contro- A.C. 1630.
versas jam diu compositas resuscitare
intendit. Ingerebat tamen Elector,
quod pacto anni 1582. solummodo pa-
ctum restitutionis de anno 1548. quoad
res politicas confirmatum fuerit, illud
autem duntaxat inter Episcopum &
Senatum, non autem cum civibus,
quorum libertati Senatus derogare non
valuit, fuerit initum, cum autem in
Cæsareo restitutionis pacto de anno
1548. de restitutione jurisdictionis Ec-
clesiasticæ, Ecclesiarum, Monasteriorum,
aliorumque jurium Ecclesiasticorum
præcipue actum fuerit, & in pacto
anni 1582. addita sit clausula, quod
omnia & singula anno 1548. transacta
serventur, inferendum videtur, Epi-
scopo confirmatam fuisse jurisdictionem
&c. *quia* ob præcedens pactum & acce-
ptatum

T 3

plere, in quibus eum mendacii arguunt, eo-
quod dixisset, quod Senatus ante 60. annos
Ecclesiis & suggestibus de pura Reformata
Evangelii doctrina providerit, cum tamen
Prædicantes Augustani ad annum usque 1548.
non Lutheranz, sed Zwinglianæ doctrinæ
fuerint addicti, ac propterea Myllius ejusque
socii defunctos Prædicantes tanquam impuros
Doctores & Seductores damnarint.

Sæc. XVII. ptatum *Interim* cives Augustani in Re-
 A. C. 1630. ligiosa pace non erant comprehen-
 sionem nec jus mutandæ Religionis ha-
 buerunt, nec eorum consensus ad
 pactum de anno 1582. necessarius
 fuit. Tandem Elector epistolæ suæ fi-
 nem imposuit, Cæsarem rogans, qua-
 tenus Lutheranis civibus Augustæ pu-
 blicum Augustanæ Confessionis exerci-
 tium reddere, ac reformationem in-
 ceptam abrogare velit: Pariter Mo-
 guntino & Bavaro Electoribus die vi-
 gesima septima Martii hoc negotium
 impense commendabat.

§. XCI.

*Varia Reformationis decreta ab Au-
 gustanis Duumviris execu-
 tioni data.*

*Acta re-
 form. vel.
 Aug. Conf.*

Urgente Cæsaris mandato, haud
 consultum erat, Saxonicae hujus
 deprecationis successum præstolari.
 quocirca Duumviri, quibus Cæsaris
 edicti executio erat demandata, die
 vigesima quinta Aprilis Eleemosynarum
 Curatoribus injunxere, ut intra qua-
 tuor hebdomadarum spatium vel Ca-
 tholicorum Ecclesias frequentent, ve-
 suis cedant officiis, nec deinceps ad
 colligendas Eleemosynas Lutheranum
 ante

ante Ecclesiarum fores constituant, Sæc. XVII.
A. C. 1630.
cum cives Catholici propterea ab Ec-
clesiæ ingressu deterreantur: Sequenti
autem die Duumviri Orphanotropii Cu-
ratoribus præceperunt, ut singulis die-
bus festis ac Dominicis mane ad rem
sacram, & vespere ad Catechesin Catho-
licam Orphanos deducerent, domique
adultioribus, famulisque carnes in
diebus vetitis non apponerent: Accepto
hoc mandato Curatores Lutherani con-
scientias suas lædi caussantes, iterato
declararunt, quod hisce jussis morem
gerere haud possent: ut vero Orphan-
trophii Cæsareum mandatum eluderent,
ex Orphanis quosdam vel ad suorum
Parentum ædes, vel ad alia extra ur-
bem loca deduxerunt, aliisque ex or-
phanotropio clam excedendi facultatem
dedere: quo comperto Duumviri hosce
Orphanos suo loco restitui jusserunt,
inde vero mota seditione cives, alique
utriusque sexus incolæ Lutherani pro-
xima die Dominica in platea, quæ a
Pistoribus nomen habet, magno nu-
mero confluxere, effusisque convitiis
& minis sese Cæsareis mandatis, ac
Senatus decretis petulantius opponere
ausi sunt, tempestive tamen dissipato
rebellium agmine Senatus tumultuarios
ejusmodi concursus indictis severissimis
pœnis inhibuit. Postquam vero Petrus
T 4 Mei-

Sæc. XVII. Meiderlin Annæi Collegii Oeconomus
A. C. 1630. ob gravissimum crimen ultro & clam
 auffugerat, hinc Duumviri hujus Col-
 legii Administratoribus die vigesima
 quinta Julii injungere, ut suæ admi-
 nistrationis rationem redderent: altera
 die alium Oeconomum Religione Ca-
 tholicum Collegio præfecere, conse-
 cutoque utensilium indice, occlusaque
 Bibliotheca Scholares, ut debitum
 novo Oeconomo obsequium præstarent
 adstrinxere. Inde vero novum que-
 rendi argumentum; vociferantur ergo
 Lutherani, vel expectandum esse Mei-
 derlini reditum, vel alium subrogandi
 jus legitime constitutis Collegii Admi-
 nistratoribus relinquendum, eoquod
 præfatum hoc Collegium juxta Fun-
 datorum mentem primum ante quin-
 quaginta annos unice pro Augustana
 Confessionis Cultoribus dicatum esset
 eapropter Lutherani non Oeconomus
 sed potius cuidam ancillæ Lutheranae
 pecunias expendendi curam demanda-
 runt. Nihilominus Duumviri, cum
 hoc Collegium ad solos Catholicos con-
 stringere haud intendissent, in ceteris
 omnino Cæsareo mandato parendum,
 ac proventuum rationes necnon reliqua
 Collegii bona Cæsareis Deputatis con-
 signanda esse die decima quarta Septem-
 bris decreverunt.

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

§. XCII.

*Continuata Lutheranorum oppositio
contra Cæsaris, Senatusque
Augustani decreta.*

Postquam vero Lutheranæ sectæ ad-
dicti Cæsarem Ratisbonam ad Im-
perii comitia profectum compererant,
mox die decima Septembris eidem li-
bellum supplicem porrigebant, in quo
præprimis falso exposuere, quod Cæ-
sarei Deputati in Nosocomio & Orpha-
notrophio constitutos *ad immutandam
Religionem suam* coegerint, cum tamen
nonnisi Catholicorum Ecclesias, con-
ciones & Catecheses, ut inde de sectæ
suz veritate vel falsitate, relicta ipsis cre-
dendi libertate edocerentur, frequen-
tare iussi fuissent. Querebantur insu-
per, quod orphani rursus ad Orphanotro-
phium redire coacti, & in Collegio
Annæo, cujus tamen administratio so-
lis Lutheranis competeret, Catholicus
Oeconomus fuerit subrogatus: hinc sup-
plicabant, ut Cæsar juxta decretum
anno 1555. urbem Augustanam, sicut
ceteras Imperii civitates in Augustanæ
Confessionis exercitio quiete relinque-
re velit, eoquod ibi cives post abroga-
tum *Interim*, semper Augustanam Con-
fessionem tam ante quam post Passa-
vien-

Sæc. XVII. A. C. 1630. viensem transactionem professi fuissent. ac Mense Aprili anno 1552. proin ali-
 quot ante præfatam pacem Mensibus
 Mauritius Saxoniae, Elector Prædican-
 tes, qui ob rejectum *Interim* exularunt
 revocavit, eosque (exceptis tribus con-
 tra Cæsarem petulanter invehentibus
 Carolus V. approbavit, demum ven-
 ex Augustanæ Confessionis urbibus ali-
 Præcones fuerint accersiti, qui circa
 Cænam Zwingliano errori adversaban-
 tur, ac Formulæ concordiæ Zwinglian-
 nis contrariæ subscribebant: quinimo
 ipsemet Senatus anno 1587. in sua apo-
 logia contra Mylium falsus sit, quod
 anno 1552. Ecclesiis de Præconibus
 Lutheranis prospexerit: cumque anno
 1586. Senatus quosdam Prædicantes
 urbe expulerit, ac Lutherani cives re-
 liquorum, utpote de fide suspectorum
 concionibus interesse detrectarint, tum
 Nicolaus Selnecerus & Joannes Pappus
 visitationem & Examen anno 1591. in-
 stituisent, atque ex Augustanis Præ-
 conibus nonnisi tres approbassent, ce-
 teris ob ignorantiam vel alia crimina
 indignis, officio cedere jussis. His ad-
 debant, quod Prædicantes, qui dicti
Interim adversati sunt, ad Helvetios
 quidem emigrarint, inde tamen hanc
 inferri possiet, eos Zwinglii secta fuisse
 imbutos: Melhornii autem turbidum
 hominem

hominis epistola nunquam in *forma authentic* fuerit exhibita, aliunde vero

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

utpote unius hominis in propria causa testantis valde suspecta. His plura alia jam sæpius regesta addidæ, quin tamen diffiteri potuerint, quod anno 1527. Michael Cellarius seu Keller, ceterique Prædicantes per plures annos Zwinglii doctrinam circa Eucharistiam tam aperte tradiderint, ut Joannes Frosch & Stephanus Kastenbaur (quorum prior se *Ranam*, alter *Agri-* colam nominabant) apud Senatum de super questi, exulare coacti sint, aliis & præcipue Bonificio Wolffarto, qui Scwenkfeldium hospitio exceperat, Sebastiano Maiero, Theobaldo Nigro, & Wolfgango Musculo Zwinglianis Prædicantibus a Senatu evocatis, qui Ecclesie ritus juxta Zwinglii doctrinam, & anno 1533. Catechismum Heidelbergæ a Calvinistis adoptatum invexere, & Wolffartus necnon Sixtus Betuleius Zwingliani Præcones juventuti instituendæ anno 1535. præfecti fuerint, imo Martinus Buzerus itidem Zwinglianus Augustam accersitus, sacram Crucifixi imaginem, Altaria, sepulcra everterit, Apostolorum festa abrogavit, & anno 1543. Musculus novam scholæ normam Senatus jussu invexerit, dein & Bernardinus Ochinus notus ille *Calvinista*

Chron. Aug.
p. 3. fol. 21.
22. 30. &
seqq.

Sæc. XVII. *vinista* Italice in Ecclesia ad S. Annam
 A. C. 1630. concionatus fuerit, ac ipsemet Senatus
 in allegata apologia contra Müllerum
 anno 1587, testatus fuerit, notum esse
 singulis, quod usque ad annum 1548
 Prædicantes nequaquam Lutherana
 sed *Zwingliana* sectæ addicti fuerint
 & ipsemet Müllerus seu Myllius pu-
 blice defunctos Prædicantes, tanquam
 impuræ doctrinæ seminatores, & Se-
 ductores traduxerit, & præcipue Bo-
 nifacium Wolffart, *Malefacium* in suis
 publicis declamationibus nominavit
 eosque unacum eorum Catechismo Au-
 gustæ 1535. typis impresso damnavit
 Anno autem 1548. die vigesima Julii
 acceptato *Interim* Prædicantes *Interim*
 mistæ die prima Adventus a suggestis
 declamarint, singulis diebus festis &
 Dominicis Missam deinceps esse cele-
 brandam docuerint, ejectisque unde-
 cim Prædicantibus, qui dicto *Interim*
 repugnantes ad Helvetios aufugere
 Prædicantes *Interim* mistæ anno 1531
 doctrinam (excepto Sacerdotum con-
 jugio & Calice) Catholicam populis
 exposuerint: abjecto autem *Interim*
 fisco cultu, excussoque Cæsaris jugo
 præfati Prædicantes ex Helvetia fue-
 rint revocati, quos Zwinglii doctrinam
 infectos esse haud negari potuerat
 cum sequenti anno ex illis Flinerus
 Dax

Daxerus, & Traheus urbe expulsi a Sæc. XVII.
 pud Calvinistas Præconum officio functi A. C. 1630.
 fuissent. Postea vero ex Præconibus
 aliqui, exterius duntaxat Confessione
 Augustanæ sese addictos simularint, imo
 etiam Melhornius Leonardum Bäch-
 linum Pastorem, cujus Diaconus erat,
 ceterosque Prædicantes accusarit, quod
 Zwinglii doctrinam palam circa Eucha-
 ristiam tradiderint, Prædicantes vero
 hanc labem nullo scripto, sed dunta-
 xat adhibita vi & accusatoris exilio a
 se amoverint, nec eorum ullus ejus
 librum refellere ausus fuerit (*) sed
 unice, ne ab Augustana Confessione
 recessisse viderentur, Prædicantes an-
 no 1555. die vigesima septima Septem-
 bris, proin post pacem religiosam no-
 vam consarcinarint Ecclesiasticæ disci-
 plinæ normam, qua decepti Duumviri
 Senatusque Augustanus ex vulgi opi-
 nione asseruerunt, quod (exceptis duo-
 bus) Lutherani Pædagogi Gymnasio,
 & Ecclesiis Præcones Augustanæ Con-
 fessione addicti fuerint præpositi, pro-
 curante ipso Melanchtone, qui tamen
 ipse, testantibus Schlüsselburgio &
 Huttero, a morte Lutheri cum Zwing-
 lianis colluserat.

Hunc

(*) Titulus hujus libri erat: *Danz der Aug-
 spurgischen Predigern, Ravenspurg. An. 1555.*

Sæc. XVII. Hunc Lutheranorum libellum sup-
 A. C. 1630. plicem Imperator acceptavit, ejusque
 tenorem Cæsareo-Aulico Consilio, ut
 desuper deliberaret, tradidit, ac die
 vigesima nona Septembris Hieronymus
 de Imhoff, & Bernardo de Rhelinge
 Duumviris injunxit, ut administratio
 Gymnasii rationes, ceteraque mobilia
 ab exauctoratis Administratoribus re-
 peterent, ac interim per alios admini-
 strarent; cum vero Cæsari insinua-
 tum fuisset, quod Lutherani præfatum
 Gymnasium, in quemdam Electorem
 aut Principem A catholicum transfere-
 molirentur, sub obtentu, quod ex Fun-
 datorum lege a Senatu confirmata cau-
 tum fuisset, hoc Gymnasium cessante
 penitus Augustanæ Confessionis exer-
 citio ad alium A catholicum locum esse
 transferendum, hinc Cæsar de genui-
 na hujus foundationis serie edoceri pe-
 tiit. Postquam igitur præfati Admini-
 stratores, hoc Gymnasium a Luthe-
 ranis pro Augustanæ Confessionis ju-
 ventute erectum fuisse, ex variis mo-
 numentis docuerant, Senatus eos ad
 Cæsarem remisit, interim vero cunctis
 Lutheranis præcipue Prædicantibus,
 qui cives erant, iterato præcepit, ut
 diebus festis & Dominicis Catholicorum
 Ecclesias frequentarent; nec in suis
 ædibus Lutherani cantilenas canerent

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

ut autem Lutherani denuo hoc mandatum eluderent, Senatui exposuerunt, quod facta ad Cæsarem appellatione lis penderet, pendente autem lite executio suspenderetur; hac ratione confisi Cæsarem, ut ulteriorem Reformationis executionem inhiheret, tradito libello supplici rogarunt, interim vero, nequidem exspectato Cæsaris responso, non modo Cæsareis mandatis palam refragati sunt, sed insuper eos etiam, qui Cæsari ac Senatui obtemperantes, Catholicorum Ecclesias frequentare parati erant, apostatas, hypocritas, sycophantas, adultatores &c. nominarunt, ipsamque Religionem Catholicam, quam ignorabant, blasphemantes, falsis commentis ludibrio ac contemptui tam petulanter habuere, ut Senatus die vigesima prima Novembris sub severissimis poenis publicas ejusmodi pacis Religiosæ transgressiones inhihere cogeretur. Nihilominus Lutherani tam die decima septima, quam vigesima tertia Decembris iteratis fatigante aculeatis libellis Duumviros Senatūque fatigarunt, quin vel in ullo articulo sese Cæsareis mandatis subjicere vellent, quinimo Prædicantes potius urbe, & Administratores suis officiis, imo & mulierculæ ex Nosocomiis excedere, quam Cæsari & Senatui

Sæc. XVII. tui morem gerere mallent: Postremo Senatus eisdem exprobrans, quod in suis libellis Cæsarei mandati verba nequiter depravarint, hacque fraude cives ad Senatus contemptum incitarint, & contumaces propter pertinaciam laudibus extulerint, denuo die trigesima Decembris illos ad debitam obedientiam hortabatur.

§. XCIII.

Principum, Ordinumque Protestantium querelæ super Cæsarei edicti restitutione & militari licentia.

Lotich. ver. Germ. l. 29. cap. 2. Brachel. Hist. l. 4. Khevenhill. Annal. Ferd. t. II. p. 1015.

Ad frangendam Austriacæ Domus potentiam nil eo tempore magis expeditum censebatur, quam potentum hostium provocatio, & victoriosi exercitus imminutio; ad illam plurimum conferebat Cæsareum restitutionis edictum, hanc vero honestabant præterea Cæsareorum militum licentiæ, & immodicæ Tribunorum exactiones. Nihilominus Ferdinandus Imperator quantumvis quorsum hæ querelæ spectarent, haud ignarus, Viennæ Mensis Februario Imperii comitia Ratisbonæ habenda ad diem tertiam Junii indicit, ut sublata inter Principes diffidentia

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

& humani cruoris effusione tandem fin-
vera inter Caput & membra unio, nec-
non Germana libertas, firmaque Im-
perii pax restitui posset. Non idem e-
rat pacis studium illis, quos Ecclesia-
stica spolia retinendi cupiditas ad no-
vas factiones incitabat; hos enim æ-
gerrime habuit edictum restitutionis,
non enim ignorabant, exinde vehemen-
ter accidi suarum familiarum subsidia,
ex quibus hucusque numerosa aliquo-
rum soboles, multorumque Aulæ, Fi-
scus, civitatum quoque æraria ma-
gnam partem sustentabantur, & non
paucorum mensæ lautius instruebantur.
Ex his præprimis Circuli Suevici Or-
dines Aulicis Cæsareis Consiliariis,
& præcipue Joannes Georgius Saxo-
niæ Elector per suum Oratorem Prote-
stantium nomine suas querelas Cæsari
exposuit, eo sine, ut hoc suo Zelo non tam
propriæ consulere Domui, quam ut simul
neglectæ Protestantium causæ labem
ob fœdus cum Cæsare initum sibi ab
eis impactam elueret: Querebatur igitur,
quod omnium Imperii Principum
ditiones immodicis exactionibus, rapi-
nis, cædibus, ac incendiis per plures
annos devastatæ, ac contra Imperii
leges a Cæsareis militiæ Tribunis,
præcipue Fridlando urbes Cæsari fidæ
occupatæ, præsidiisque gravatæ fue-
rint;

Hist. Eccles. Tom. LIX.

U

rint;

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

rint; demum vero occasione editi re-
 stitutorii Augustanæ Confessionis Co-
 toribus contra Imperii pacificationis
 vis fuerit illata, dum Cæsarei hujus
 mandati Executores, non modo ea
 quæ in Pacis legibus ambigua erant
 sequiori interpretatione tanquam Ca-
 tholicis jure certo asserta Lutheranis
 eripuissent, sed etiam indicta caussa
 versus eosdem decidissent, simulque
 nonnulla bona Ecclesiastica ante ve-
 paulopost Passaviensem transactionem
 occupata usurpassent. His expositis
 subjunxit, quod insuper Wolfgangi Pa-
 latini Fratres, Megapolitani Duces
 Silesii, Schweinfurtenfes, aliique pa-
 sim de molestiis sibi injuste inflictis
 acerbè expostularent: proin nomine
 omnium Saxonix Elector Cæsarem ro-
 garet, ut pro sua lenitate horum om-
 nium rationem habere, clementissimè
 dignaretur. Porro in eadem ferme le-
 menta proruperant ceteri Protestantes
 Imperii Principes, Ordinesque, præ-
 cipue vero Elector Brandenburgicus re-
 giones suas Cæsareo milite exhaustas
 questus petiit, ut Cæsar Fridlando
 mandatis daret, quatenus militem
 Brandenburgico Marchionatu protinus
 educeret.

Verum ad horum querelas Cæsar
 respondit, se eo fine jam indixisse Re-

tisbonense comitium, ad quod ipsemet Sæc. XVII.
Saxonix Elector accederet, ut de com- A. C. 1630.
muni salute cum eo Cæsar coram agere
posset, de edicto autem restitutionis se
jamjam edixisse, quod supremi Judicis
& Advocati partes agere teneretur, &
poscentibus jus ex pacis præscripto red-
diturus esset, nec unquam passurus,
ut Catholici Ordines, sine eorum con-
sensu, certo suo jure privarentur: si
vero Executores mandati limites fuif-
sent transgressi, id Cæsari haud impu-
tandum quidem, daturum tamen ope-
ram, ut læsæ parti secundum Imperii
leges, ac Religiosam pacem satisfieret.

§. XCIV.

Comitia Imperii Ratisbonæ celebrata.

Igitur Ferdinandus Imperator die se- *Adl. An-*
ptima Maji Vienna profectus, die *nal. Boic.*
septima sequentis Mensis solemniter pom- *l. 15. p. 3.*
pa Ratisbonam ingressus est, ibidem *Blanc. Hist.*
Imperii comitia celebraturus. Aderant *de Bav. t. 4.*
Electores Catholici omnes, Saxo au- *Priorat. hist.*
tem & Brandenburgicus, quamvis ite- *di Ferd.*
rato a Cæsare rogati, pro absentix suæ *p. 1. l. 6.*
caussa obtendebant exhausti ærarii in-
opiam, genuina autem causa erat ob-
restitutionis edictum concepta indigna-
tio. Horum tamen vices supplebant
Philippus Ernestus Comes de Mansfeld,
U 2 Ni-

Sæc. XVII. Nicolaus de Müliz, Gabriel Timæ
A. C. 1630. Doctor, & Joannes de Plaustorff. Præ-

ter hos magno etiam numero confu-
xerant Imperii Principes ac Legati,
quibus una congregatis Cæsar habito
oratione omnes, quibus Imperium us-
que nunc premeretur, calamitates
Bohemica Friderici Palatini rebellionis
repetiit, exposuitque, quod insuper ha-
bitis precibus, comitiis, propositisque
concordiæ mediis, sæpiusque, frustra
tamen, tentatis clementiæ severitatis
que viis idem Fridericus sibi que ad-
hærentes Bethlenium, Turcas, Danicæ
& Angliæ Reges, Saxonici Circuli Or-
dines, Batavos aliosque in belli socie-
tatem contra Cæsarem evocarit, &
Bohemiciæ & Hungariæ Regna, Au-
striam, Silesiam, Moraviam, omnes
que Austriacæ Domus Provincias fa-
ro flammaque sæde vastavit. His ex-
positis Cæsar cunctos Imperii Principe
rogabat, ut opportuna suggererent me-
dia, quibus firma in Imperio pax re-
stitui, vel desperata pace bellum per-
tenter continuari, & Batavi, si Palati-
num in sua pertinacia firmare non
desisterent, coerceri, necnon Suecici
Rex, si forte pacis consilia respueret,
debellari, & denique Mantuanum bel-
lum, salva Imperii auctoritate, confici
posset.

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

§. XCV.

*Principum Protestantium responsa ad
hunc Cæsaris sermonem.*

Quantumvis hæc Cæsaris propositio luculenter ipsius animum ad pacem vel maxime propensum testaretur, non deerant tamen ex Protestantibus non pauci, qui Cæsarem editis etiam libellis immerito insimularent, quod motis indies novis difficultatibus pacem tot votis desideratam impedire moliretur, id suadentibus conscientiae suae arbitris P. Guilielmo Lammormanno & Weingartnero Jesuitis: Acerbius adhuc ali ore ac calamo Cæsaris verba in sinistram detorquebant sensum, spargentes, quod jactatum pacis desiderium nil nisi Austriacæ Domus Dominatum præferat, & Principum patientia hactenus exhibita sensim in abjectam servitutem vertatur, armaque in Patriam & Imperium versa peropportuno Bohemici tumultus obtentu honestentur, de cetero autem post Danicam pacem universum Imperium ab hoste quidem vacuum, non tamen a Cæsareo milite, gravissimisque Cæsarei militis exactionibus immune fuisset. Præcipue vero Protestantium nomine Saxoniae Electoris Legatus Comes de Mansfeld

U 3

Sæc. XVII. feld petiit I. ut confirmatis Saxonice
A. C. 1630. Domus privilegiis, compensatisque
 sumptibus pro redimenda militum in-
 vasionem factis, Religionis causa, par-
 que profana in eo statu relinqueretur,
 quo ante Bohemicos motus fuisset. II.
 Augusta Vindelicorum pristino Statu
 ac libertati restitueretur. III. Cæsa-
 reæ militiæ Præfecti de exactionibus
 & pecuniis ab Imperio acceptis ratio-
 nem redderent. IV. Edictum de re-
 stituendis bonis Ecclesiasticis declara-
 retur irritum. V. Legionum Cæsa-
 rearum, ac Præfectorum numerus im-
 minueretur. Ad primam & tertiam
 ex his propositionibus in hisce comitiis
 remedium esse quærendum respondit
 Imperator: cum autem ad tuendam
 edicti executionem tam propria pietas
 quam causæ justitia Cæsarem impul-
 set, aliunde vero cum non modo Ecclesia-
 stici inique spoliati, sed ii potissimum
 qui Cæsaris pietate ac religione abu-
 tentes Cæsarem a suo solio, suisque
 Regnis deturbare moliebantur, allatis
 gravissimis rationibus Ecclesiarum re-
 stitutionem, atque exactionem
 exercitus vehementer urgerent, hinc
 Cæsar quidem ob inopinam Suecici Re-
 gis irruptionem militis sui imminutio-
 nem nunc intempestivam fore causam
 batur, circa edictum vero haud cur-
 stantem

stanter declarabat, velle se, ut Passa-
 viensis pax exacte servaretur; se enim
 utpote supremum Judicem obstringi,
 ut parti læsæ justitiam secundum Reli-
 giosam pacem administraret, Catholi-
 cosque suis juribus spoliari haud per-
 mitteret. Nihilominus Pomeraniæ,
 Hassiæ, & Wirtembergi Ducum, ac
 Suevici Circuli Oratores ceterique Pro-
 testantes libellum supplicem Cæsari por-
 rigebant, in quo de edicti executione,
 ac belli exactionibus, quibus Prote-
 stantes præ ceteris gravius fuisset one-
 rati, vehementer querebantur: Ad
 hæc Cæsar Ludovico Friderico Wir-
 tembergenfi Duci responderi jusserat,
 quod legiones ex ejus ditione deductu-
 rus esset, quamprimum Dux factam
 edicti executionem ratam habuisset.
 Paulopost Saxonix Elector Cæsari nun-
 tiabat, quod Suecix Rex infestata Rug-
 gia Insula impressionem in Imperium
 jamjam fecisset, proin Cæsar belli cala-
 mitatem prompta pace averteret, edi-
 ctumque restitutionis abrogaret: Ve-
 rum Ferdinandus Electori respondit
 tam validum sibi suppetere exercitum,
 ut Deo secundante, Superioris Saxo-
 niæ Circulum defendere, armaque ad-
 versa retundere valeret, dummodo ipse
 Elector & Brandenburgicus arma, &
 sumptus conferrent.

U 4

§. XCVI.

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

§. XCVI.

Transactionis pacta circa Ecclesiasticorum bona a Protestantibus proposita.

Khevenhill.
l. c.

Ex immota Cæsaris constantia emunctioris naris Protestantes haud temere conjectabant, quod, si in hiis comitiis de bonorum Ecclesiasticorum spoliis exactior fieret inquisitio, fore, ut ipsi omnia bona, quæ post pacem Passaviensem Ecclesiasticis erepta fuissent, restituerentur. Ut ergo saltem aliqua sibi interim alligerent, Principum Saxonæ & Brunsvici, necnon Franconiæ Sueviæque Ordinum, aliarumque Urbium Oratores Moguntino Cancellario quosdam transactionis articulos proposuere: Jam enim a primis Sectæ suæ incunabulis solemne erat Protestantibus, ut alia super alia transactione facta Catholicis aliqua eriperent bona, suamque usurpationem ejusmodi transactionis jure colorare niterentur, hacque arte Ecclesiam tandem omnibus fortunis suis spoliarent, novaque in dies spolia novis, novisque transactionibus redimerent, donec, usurpatis omnibus nihil superesset Catholicis, de quo transigerent. Ejusdem naturæ erant sequentes

tes articuli a Protestantibus propofiti. *Sæc. XVII.*

I. Omnes executiones circa Monaste- *A. C. 1630.*

ria, resque Ecclesiasticas illico suspen-
dantur. II. Quæstio, quinam sint Au-
gustanæ Confessioni addicti, a solis For-
mulæ Concordiæ adhærentibus deci-
datur. III. Cæsari & Catholicis Or-
dinibus integrum sit decidere, quis-
nam vere Catholicus sit. IV. Noti
Interim nulla omnino habeatur ratio
contra Lutheranos. V. Restituantur
monasteria *mediata* a die vigesima septi-
ma Septembris anni 1555. erepta dum-
modo tempore publicatæ pacis Reli-
giosa *sola* Religio Catholica ibidem &
publice vigerit, nec ulterior Religio-
forum ad tale monasterium receptio
fuerit interdicta. VI. *Mediata* Mona-
stera quidem post transactionem Pas-
saviensem, ante pacem tamen Religio-
sam occupata Protestantibus integra
maneant, æque ac monasteria, quæ
tempore publicatæ Religiosæ pacis Lu-
theranis cesserant, etsi posthanc pacem
ad Religionem Catholicam redierint.
VII. Omnia jura in *Mediatis* Ecclesias
& monasteria ante promulgatam hanc
pacem Protestantibus asserta, semper
illis integra servantur. VIII. Cum mu-
tandæ Religionis facultas juri territo-
riali innitatur, ac Lutheranis haud to-
lerandum foret, si in Monasteriis *me-
diatis*

Sæc. XVII. diatis alienam Religionem permittere
 A. C. 1630. cogentur, hinc in monasterio restitu-
 tuto Religiosi nec habitent, nec sacra
 peragant; sed eis per Lutheranos Ad-
 ministratores extra territorium proven-
 tus suppeditentur, Lutherano autem
 ejusmodi Principi integrum sit, ejus-
 modi bona ab his Religiosis emere. IX.
 Monasteria notorie *immediata* Catholicis,
 nisi obstant specialia circa Religionem
 pacta, restituantur, exceptis iis mona-
 steriis, quæ licet centum abhinc annis
immediata in Lutherani tamen Prin-
 cipis territorio sita, & Statibus Pro-
 vinciarum incorporata, atque a Luthe-
 ranis ante pacem occupata fuere. X.
 Circa Principales *immediatas* Eccle-
 sias sive Regulares sive sæculares ita
 statuatur, ut si ante pacem Religiosam
 fuerunt reformatæ, Lutheranis, si ve-
 ro ante vel ipso die fuerint Catholicæ
 Religionis, Catholicis restituantur, si
 a die præfatæ pacis ab utriusque Re-
 ligionis hominibus fuerunt possessæ,
 restituantur in eum statum, quo erant
 ante pacem. XI. Ubi constat, quod
 reformatio ante promulgationem facta
 fuerit, ibi abs controversia exercitium
 Confessionis Augustanæ conservetur.
 XII. Restitutio fiat absque compensa-
 tione damnorum, vel fructuum perce-
 ptorum, salvis etiam contractibus an-
 tea

tea initis. XIII. Si in urbibus sola Re- Sæc. XVII.
 ligio Catholica, vel sola Lutherana, A. C. 1630.
 vel utraque simul tempore promulgatæ
 pacis fuerit, in eodem Statu etiam-
 num permaneat, nulla tamen civitas
 alterius Religionis cives, si quiete vi-
 vant, ad emigrandum compellat, XIV.
 nova Tempia in civitate Imperiali, ubi
 utraque Religio simul viguit ab anno
 1555. a Catholicis vel Lutheranis e-
 recta remaneant, nec tamen deinceps
 nova absque utriusque consensu ædifi-
 centur. XV. Jurisdictio Ecclesiastica
 in Lutheranos suspendatur, omnesque
 ritus, scholæ &c. post pacem intro-
 ductæ, necnon Magistratum normæ
 in eodem statu remaneant. XVI. E-
 mergente dubio Actor prius sua argu-
 menta proponere teneatur. XVII. Præ-
 fecturæ, pagi, vel civitates feudata-
 riæ circa Religionem non Dominium
 directum, sed territorialem sequantur.
 XVIII. Transactiones post pacem in-
 ter Catholicos & Lutheranos initæ per-
 maneant validæ. XIX. Cuncta per mi-
 lites, vel per Religiosos vi intrusos re-
 cuperata monasteria in pristinum sta-
 tum, quo anno 1621. fuerunt, repo-
 nantur, etsi vero Cæsaris auctoritate
 fuissent vindicata, adhuc tamen
 utriusque Religionis æquali numero
 Judicibus eorum occupatio dijudicetur.
 Hisce

Sæc. XVII.

A. C. 1630.

Hiscæ articulis Protestantes adhuc in Saxonis & Brandenburgici Electorum & Hassiæ Landgravii favorem concedi postularunt, ut hi omnia monasteria ab eis etiam post pacem erepta per quin-
quaginta annos quiete possidere valeant, eaque evoluto hoc spatio non nisi per præfatos Judices repeti possint.

§. XCVII.

*Consiliariorum Cæsaris responsa ad
hasce propositiones.*

*Acta publ.
ad hunc ann.
Khevenhill.
l. c. p. IIII.*

Novum, insolensque Cæsari videbatur, quod Spoliatores *de re aliena* cum *spoliatis* pacisci ac transactionem, qua Ecclesiastici omnibus ferme bonis spoliarentur, denuo instituere auderent, cum tamen Ecclesiastici per transactionem Passaviensem jamjam multa bona sibi eripi passi essent, spe decepti, fore ut saltem ipsis relicta quiete deinceps possidere permetterentur. Eapropter Cancellarius Moguntinus, ceterique Cæsaris Consilarii ad exhibitas Protestantium propositiones ita responderunt. I. Per nullam transactionem a pace Religionis discedatur. II. Solius sit Cæsaris, Lutheranos ab aliis A Catholicis discernere. III. De Catholicis nulla ejusmodi cognitione opus esset, cum inter eos ea sit fidei consensus, ut

circa

circa illam nulla sit controversia, & si Sæc. XVII.
A. C. 1630.
quæ daretur, Judicem agnoscunt sum-
mum Pontificem. IV. Catholici nul-
lam distinctionem admittunt inter im-
& mediata Collegia præter eam, quæ
in pace Religionis est posita, ubi nulla
sit mentio *Interimistici* libelli V. hinc
omnia, etiam mediata, quorum posses-
sio ante vel post promulgatam pacem
penes Catholicos fuit, integre illis
restituantur, & restitutionis obligatio
non a tempore promulgatæ, sed a die
initæ pacis accipiatur. VI. Protestan-
tibus jura, quæ in restitutis cænobis
& Collegiis tempore initæ pacis ha-
buerunt, deinceps remaneant, sed ta-
men in eo statu, in quo tum fuerunt;
si enim Ecclesiastici de ejusmodi juri-
bus tum litem intenterunt, utraque
pars causam prosequi poterit. VII. Ec-
clesiastici inviti non cogantur, ut sua
monasteria in Protestantium territorio
sita vendant, aut non incolant, nec sua
sacra ipsimet peragant, vel ex bonis
suis per Lutheranos administratis extra
territorium proventus recipiant. VIII.
Si lis oriatur, an monasterium sit im-
mediatum, ea in Judicio finiatur, ac
lite pendente in suo statu res relinqua-
tur. IX. Integre restituantur omnia
Collegia Principalia primæ notæ, alia-
que immediata, vel ante vel post pa-
cem

Sæc. XVII. cem erepta, etsi utraque religio, vel
 A. C. 1630. sola Catholica in Capitulis vel civita-
 tibus, vel extra, tempore pacis fue-
 rit. X. Circa monasteriorum &c. res-
 titutionem vel retentionem non atten-
 dantur personæ, quæ occuparunt, sed
 tempus, an ante vel post pacem ejus-
 modi bona occuparint. XI. Contra-
 ctus de prædictis bonis a tempore oc-
 cupationis initi usque ad restitutionem
 valeant. XII. Circa liberum Eque-
 strem Ordinem pax Religionis servetur
 ita tamen, ut utriusque Religionis cul-
 toribus nulla conscientiæ vis inferatur,
 sed libere emigrandi facultas conceda-
 tur. XIII. Si in aliquibus Imperii ur-
 bibus tempore publicatæ pacis utraque
 Religio viguit, in iis remaneat, & Se-
 natus, aliaque officia per utriusque Re-
 ligionis personas æquali ratione admi-
 nistrentur, ac monasteria &c. sive ante
 sive post pacem occupata restituantur,
 concessa tamen Lutheranis nova tem-
 pla ædificandi facultate. XIV. Si ibi-
 dem suæ Religionis exercitium vel soli
 Lutherani vel cum Catholicis tem-
 pore pacis habuerint, & retinuerint,
 adhucdum retineant, si vero altera
 tantum Religio in publico usu fuit, ser-
 vetur circa Magistratus id, quod usque
 est receptum nec prohibitum. XV.
 Circa suspensionem jurisdictionis Ec-
 clesiæ

clesiasticæ, seruetur pax Religionis, **Sæc. XVII.**
 in dubio autem circa restitutionem, **A. C. 1630.**
 actori incumbat onus probandi, in aliis vero casibus seruetur jus commune. XVI. Urbes, Pagi &c. pendentes a feudo Lutherano, circa Religionem sequantur Dominum territorialem, & vicissim. XVII. Patronus constituat Parochum ejus Religionis, quæ in Parochiæ territorio viget. XVIII. Omnes Transactiones inter Catholicos & Lutheranos post pacem validæ maneat. XIX. Omnes lites a pace & hoc contractu exortæ vel ab Aulico Cæsaris Consilio, vel Spirensi Curia decidantur. XX. Monasteria contra pacem violenter Lutheranis adempta, eis restituantur. XXI. Postquam hæc omnia juxta pacem Religionis & æquitatem sic fuerint utrinque transacta & composita, & Cæsaris dispositio circa Palatinum ab Imperii Principibus fuerit acceptata, tunc primum Saxo, & Brandeburgicus Electores omnia Monasteria per quadraginta annos quiete possidere poterunt, evolutis autem his annis hæc monasteria &c. versabuntur in eo statu, in quo fuerunt anno 1628. proin primum post annum 1621. nec Cæsaris edictum, nec sperata hæc compositio poterit allegari, vel attendi. Quid autem Augusto Saxonix

Sæc. XVII. xoniæ Electoralis Filio ex Archiepiscopo
 A. C. 1630. patu Magdeburgensi esset assignandum.

id relinquatur Cæsaris & Canonico-
 arbitrio: circa Hassiæ Landgravium
 Hirsfeldensem Ecclesiam, omnino pa-
 cem esse servandam, propositum est.

Hos articulos dum Cancellarius
 Protestantibus *privato nomine* tradide-
 rat, significabat, se ignorare, an
 Catholicis Electoribus sint rati habendi
 suas igitur, si velint, ultiores deli-
 per explicationes Electori Moguntinæ
 ante ipsius discessum publica auctori-
 tate porrigerent. Tum vero Protestan-
 tes Principes die sexta Novembris
 bellum Electoribus exhibuere, in quo
 contra militarem licentiam, & subdi-
 torum calamitates remedium opponi,
 atque edicti restitutorii executionem
 intermittere postulabant. Ad hæc ergo
 die duodecima ejusdem Novembris re-
 sponsum, quod non obstante Suecicæ
 Regis irruptione, Cæsar nihilominus
 juxta Imperii leges opportunos belli o-
 nera levandi modos cum Electoribus
 constituisset; circa Edictum vero pa-
 cemque Religionis, cum hæc sit om-
 nium agendorum norma, nova pacis
 forma non quidem admitti possit, bene
 tamen moderatior executionis modus:
 si igitur ita Lutheranis Principibus
 bene visum fuerit, ad diem tertiam
 Februæ

Februarii Francofordiæ omnium Prin-
cipum conventus haberi, ibidemque de
executionis gravaminibus, aliisque nu-
per propositis articulis deliberari pos-
set, non sine maxima optati successus
spe, eoquod ipsemet Cæsar tum resti-
tutionis moderatione vel saltem dila-
tione exortas turbas sedare paratissi-
mus esset.

§. XCVIII.

*Wallensteinus Fridlandiæ Dux ex-
audtoratus.*

Divulgato hoc responso mox ingens
inter Principes erat opinionum dif-
finitudo; quivis in rem suam diser-
tus, multi pro commodi privati ratio-
ne nunc pacem nunc bellum suadebant,
pauci publicæ utilitatis studio privati
dispendii formidinem exuebant: nulli
tamen deerant speciosi obtentus, qui-
bus commune justitiæ bonum procura-
re crederentur: Qui severam edicti
executionem urgebant, victorias, ac
potentes Cæsaris exercitus, Dei glo-
riam, Ecclesiæ fideique augmentum,
Sedis Apostolicæ dignitatem, & ani-
marum salutem prætexebant: Alii ve-
ro moderatioris animi Principes, at-
que inter eos præcipue Maximilianus
Bavariæ Elector, sublati domestici
diffi-

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

*Bourgeant
Hist. belli
tric. t. I.*

Hist. Eccles. Tom. LIX.

X

diffi-

Sæc. XVII. diffidii simultatibus, Lutheranos mi-
 A. C. 1630. gata edicti severitate ad concordiam esse
 revocandos suadebant, ne prævalens
 extero, seu Sueco hoste, ac mutata
 belli fortuna non modo hucusque ere-
 pta recuperari haud valerent, sed ere-
 dens recuperata amittendi discrimen
 esset. Talibus, aliisque per opinionum
 varietatem ventilatis, ad extremum
 pro cæpti semel propositi perseverantia
 decretum est, ab edicti rigore nihil
 esse remittendum: In hunc igitur mo-
 dum post longam digladiationem super-
 rior fuit sententia perniciosior, quæ
 partim vana fortitudinis jactantia, par-
 tim Religionis, ac justitiæ forma spe-
 ciosior. Tum vero vix non communi
 erat omnium Electorum postulatio, ut
 Wallensteinus Fridlandiæ Dux mili-
 tari imperio exueretur: Eidem enim
 utpote supremo Capiti militum licen-
 tiæ, indeque exorta damna imputaban-
 tur, nec Imperii nec Imperatoris Sa-
 luti sat cautum credebatur, nisi præ-
 ceptis hujus hominis fortuna ac poten-
 tia tempestive frangeretur: Forte etiam
 ipsemet Fridlandus communi humanæ
 felicitatis vitio, intemperantius blan-
 dientis fortunæ prosperitatem ferebat:
 carpebatur enim, quod præter vitam
 magnificentiam quovis Principe super-
 riorem alienæ gloriæ æmulus, propria
 nimium

*Nani l. 8.
 Hist. Venet.
 p. 586.*

nimium avidus æquales contemneret, Sæc. XVII.
 tamque insolita morum asperitate cun- A. C. 1630.
 ctis dominaretur, ut unius Cæsaris
 gratia tutus, nulla Principum, legum-
 que Imperii habita ratione hiberna,
 æstiva, stationesque militum, tributa
 insuper, atque exactiones pro arbitrio
 distribueret, tantoque nonnunquam
 saltu disponeret, ut querentibus desu-
 per Principibus Provinciisque, superbo
 responso insultaret, aut graviora super-
 adderet onera. Cæsar excusato Wal-
 lensteinio, cum plerasque querelarum
 causas in belli necessitatem temporis-
 que injuriam conjiceret, ad extremum
 importunis Principum votis expugna-
 tus, ut militare Wallensteinio auferre-
 tur imperium, invitus licet consensit.
 Majore pronitate Cæsar reddendæ pa-
 cis studio animatus, ad Electorum vota
 maximam exercitus sui partem, reten-
 tis duntaxat armatorum triginta no-
 vem millibus, a signis dimisit, & Tillio
 supremum residui agminis Imperium
 contulit, applaudentibus Cæsaris hosti-
 bus, ac præcipue Gustavo Sueciæ Re-
 ge, qui exauctoratis ferme omnibus
 ad ejus castra transeuntibus exercitum
 suum veterano milite auxit, ipsumque
 Wallensteinium amplis promissis, in-
 cassum licet, ad suas partes sollicita-
 vit. Adeo Cæsaris Religione & pie-
 tate

Sæc. XVII. tate abutebantur potissimum illi, quæ
 A. C. 1630. extremum Austriacæ Domus excidium
 ex eo accelerasse crediderant, quos
 cunctos Protestantes per edicti execu-
 tionem in Cæsarem armarint, eumque
 exauctorato exercitu ac Belliducum
 præcipuo, pene inermem reddiderint
 dum interea Sueci Gallique Imperium
 validissimis copiis inundaturi essent
 & Protestantes pro restaurando in Cæ-
 sare bello sumptus viresque omnes
 prodigerent.

§. XCIX.

Ratisbonensium comitorum exitus.

Annal. Boic. part. 3. l. 15. le Blanc. Hist. de Bavier. t. 4. Dimisso Fridlando Cæsar Ratisbonæ
 statuit, ne in posterum stipendia
 pro Præfectorum arbitrio, sed ex Or-
 dinum præscripto penderentur: con-
 venit insuper, ne Cæsar inconsultis Ele-
 ctoribus ac Imperii Ordinibus bellum
 indiceret: Agebatur etiam seorsim de
 Ferdinando III, in Romanorum Regem
 creando. Rem urgebant, incio tamen
 Cæsare, Roccius jussu summi Pontifi-
 cis, necnon Carolus Auria Hispani Re-
 gis Legatus: electionem tamen esse dis-
 ferendam censebant Electores, eoquod
 nec ipse Cæsar, nec ulla necessitas
 exposceret, aliunde vero Saxonis &
 Brandeburgici Electorum Oratores ma-
 dati

datis desuper haud instructi essent. Ne Sæc. XVII.
 tamen Cæsar post immensos pene sum- A. C. 1630.
 ptus re infecta a comitiis discessisse vi-
 deretur, voluere Electores, ut Eleo-
 nora Augusta Cæsaris conjux die se-
 ptima Novembris a Trevirensi Archi-
 episcopo Imperiali corona redimeretur.
 Intererant Augustali huic inaugurationi
 ipsemet Cæsar, Ferdinandus ejus Fi-
 lius ac Hungariæ Rex, Archidux Leo-
 poldus Guilielmus, Maria Anna & Cæ-
 cilia Renata Archiducissæ præter Ele-
 ctiores Catholicos, Wolfgangum Pala-
 tino-Neoburgicum Ducem, Georgium
 Hassiæ Landgravium, & innumeros
 pene Proceres, Comitesque. Sub idem
 tempus Carolus Angliæ Rex per Lega-
 tum suum Friderici Palatini Comitis
 restitutionem urgebat, quinimo ipsemet
 Palatinus datis literis Electores roga-
 bat, ut promovendæ pacis causa apud
 Cæsarem pro ipso deprecarentur. Ad
 horum igitur preces inclinatus Impera-
 tor, se Palatinum in gratiam receptu-
 rum pollicebatur, dummodo ipse veni-
 am peteret, Regno Bohemiæ pro se
 suisque hæredibus uti & Electoratu
 renuntiaret, cunctisque foederibus &
 Imperii conventibus abstineret. Verum
 Palatinus, quantumvis Cæsar se illi
 Palatinatus partem, & alimenta Prin-
 cipe digna daturum spondisset, ni-
 hilo-

Sæc. XVII. hilominus totam ditionem unacum Ele-
A. C. 1630. storatu sibi integre restitui petiit: unde
 hæc tractatio effectu caruit: Actum
 postea de Batavis ex Imperio arce-
 dis, necnon de pace cum Gallis Italia
 reddenda: demum vero dissoluto con-
 ventu Cæsar Ratisbona Viennam re-
 versus est.

§. C.

Mantua a Cæsareis astu intercepta

Ceterum cum Ratisbonæ Catholici
 pacis consilia exequi, & Prote-
 stantes pacis beneficio arma parare sa-
 tagerent, in Italia bellum pertinaci par-
 tium contentione continuatum est; post-
 quam enim Nivernius Dux Gallorum
 potentia fretus, condiciones a Cæsare
 propositas rejecisset, & Richelius Car-
 dinalis adeo duras obtulisset leges, ut
 non pacem, sed bellum, quo Cæsaris
 vires infringere, & Sueciæ Regem in
 Germaniam pellicere valeret, exoptare
 videretur, hinc in irritum ceciderunt
 cuncta molimina, quibus summi Pon-
 tificis jussu Joannes Pancirolus Papa
 Nuntius saltem belli inducias impetrare
 nitebatur. Quamprimum igitur Sab-
 audixæ Dux in Hispanorum partes tran-
 siverat, mox Richelius Pignarolum vi-
 cinasque urbes occupavit. Rursum
 Ma-

Nani Hist.
Venet. l. 8.
Ferrer. Con-
tin. cap. 1.
tom. 12.

Marchio Spinola, & Barberinus Papæ Sæc. XVII.
 Legatus Richelio pacis conditiones op- A. C. 1630.

ponere nitebantur, irrito tamen suc-
 cessu; postquam enim ipsemet Ludo-
 vicus XIII. Galliarum Rex cum valido
 exercitu in Italiam penetrans, Cam-
 brium, totamque Sabaudiam suis armis
 subjecerat, non jam de pace, sed mu-
 tua cæde ac ruina actum, Hispanis
 Casalim, Cæsareis vero Mantuam toto
 belli apparatu infestantibus. Accur-
 rerant in Nivernii, Gallorumque opem
 Veneti, qui tamen bina clade fracti,
 Veronam usque profugere coacti sunt.
 Pari fortunæ invidia Nivernensis Ducis
 copias Cæsareus miles repulerat. Ma-
 gis prospero Marte pugnabat Franciæ
 Rex adversus Hispanos & Sabaudos,
 quibus fuis fugatisque, nil propius
 erat, quam ut Carolus Sabaudix Dux,
 ejusque Filius Victor Amadæus noctu
 a Richelii Cardinalis copiis capti ab-
 straherentur: Nihilominus rapidum
 Gallicæ victoriæ cursum interceperat
 inopina Mantuanæ urbis expugnatio;
 interceptis enim Nivernii literis, qui-
 bus in præsidii supplementum quatuor
 Venetorum millia submitti petierat,
 Mathias Galassius Comes Cæsareus Bel-
 lidux hac notitia utendum ratus, sub
 crepusculo matutino cum quatuor suo-
 rum millibus simulata aggressione in-
 pro-

Sæc. XVII. propria castra impetum fecit, quibus
A. C. 1630. facile, utpote ex condicto perruptis,
 suas cohortes tanquam a Venetis sub-
 missas obscuro tum die ad urbis portas
 admovit, delusisque præfidiariis intro-
 missus miles urbem levi suorum dispen-
 dio in Cæsaris potestatem redegit.
 vita nemini, qui resistere auderet, do-
 nata: ipse etiam Nivernius Dux una-
 cum Filio, suisque Nepotibus ac Pro-
 cerum non paucis in Portuensem ar-
 cem profugus, in Ferrariensem Pontifi-
 cis ditionem secedere compulsus est,
 ea lege inde dimissus, ne ad Francos,
 Venetosque sese reciperet.

§. CI.

Pax Mantuana inter Cæsareos & Gallos.

Khevenhil.
Annal. Ferd.
t. II. p. 1190.
Annal. Boic.
part. 2. l. 15.
Piasec.
pag. 495.

Hujus Urbis jactura, adversaque Do-
 cis Nivernii fortuna Gallos ad pa-
 cis consilia proniores reddebat: Addi-
 dit quoque calcar ipsemet summus
 Pontifex, qui misso Julio Mazarino,
 quem Richelius Cardinalis maximi ha-
 buit, saltem inducias pangi petiit, ob-
 tinuitque. Interim vero Ratisbonæ in-
 comitiis Electores, atque inter eos
 præcipue Maximilianus Baviaræ Se-
 ptemvir toti in eo erant, ut Cæsarem
 ad pacem Italiæ reddendam inclina-
 rent.

rent. Non deerant quidem, qui Fer-
 dinando suggererent, dolum subesse,
 Cæsarisque hostes unice machinari,
 ut recens erecta Imperatoris potentia
 atque Auctoritas rursus infringeretur,
 nilque in Italia præter inane Cæsaris
 nomen eidem superesset. His tamen
 suggestionibus prævaluit in Ferdi-
 nando proclivis ad concordiam animus:
 opportune etiam Ratisbonam advene-
 rant Ludovici XIII. Franciæ Regis
 Oratores Carolus Brulardus & P. Jo-
 sephus Capuccinus, qui sua professione
 superiorem in agendis rebus publicis
 dexteritatem præferens Richelio Car-
 dinali a secretis erat consiliis. Ambo
 igitur Imperatorem ad pacem tam va-
 lide stimulabant, ut hic datis literis pro-
 tinus Urbano VIII. Papæ significaret,
 quod victoriis potiolem haberet pacem,
 unice eo fine, ut positis inter Princi-
 pes diffidiis sinceram unionem revo-
 care, ejusque Pontificatum restaurato
 Dei cultu augustiorem reddere valeret,
 proin Sanctitatem suam rogaret, ut
 Apostolica simul auctoritate Christiano-
 rum Principum animos ad concordiam
 flectere, & quorundam etiam Catho-
 licorum perversa consilia ac fœdera ad-
 versus Dominum, & Christum ejus
 inita dissipare satageret: Postea Cæsar
 summo Pontifici pollicebatur, quod

X 5

Ni-

Sæc. XVII.
A. C. 1630.*Ferrer. con-
tin. Hist.
Hisp. t. 12.
c. 1. p. 118.*

Sæc. XVII. Nivernium Ducem utpote a suis male
A. C. 1630. consultum concessa præteritorum obli-
 vione in gratiam recipere, ac petita
 venia suæ ditioni reddere pacemque
 inter contententes stabilire paratus es-
 set: suam igitur operam Pontifex ad
 tam salutare negotium pariter junge-
 ret. Expeditis hisce literis Imperator
 Antonium Cremifanensem Abbatem,
 Strallendorffium, Nostwizium & Que-
 stenbergium die undecima Augusti no-
 minabat, ut cum Franciæ Legato de
 concordia articulis agerent. Tandem
 multis ultro citroque agitatis in hosce
 articulos die vigesima tertia Septem-
 bris conventum est. I. Nivernius pe-
 tita a Cæsare venia Mantuanum &
 Montferratensem Ducatus reciperet, &
 Casalin suis præsidiariis muniret. II.
 Sabauda sua redderentur, indeque
 Franciæ Rex præsidia deduceret, nec
 deinceps ullum Imperii Principem læ-
 cesseret, nec Austriacæ Domus hosti-
 bus aut rebellibus opem ferret. III. Ita
 vicissim se Cæsar erga Regem Regnum-
 que Franciæ gereret. IV. Clausura
 Alpium ac Rhetiæ in pristinum sta-
 tum reducerentur. V. Hac pace etiam
 Veneti & Lotharingiæ Dux compre-
 henderentur, arma tamen, militesque
 dimitterent. Igitur Mantua Nivernio
 reddita, Casalis permissa Gallis, & Pe-
 gnare

gnarolum divenditum est. Demum his Sæc. XVII.
 articulis Cæsaris Oratores, & Brullar- A. C. 1630.
 dus Franciæ Regis Orator, necnon
 Pater Capuccinus subscripsere, qui po-
 sterior utpote de Regis sui mente ma-
 gis edoctus, ipso Legato potiozem hac
 in transactione partem habuit, postea
 tamen mandati limites excessisse accu-
 satus, in Parisiense Capuccinorum mo-
 nasterium relegatus est.

§. CII.

*Nivernii Ducis deprecatio Cæsari
facta.*

Priusquam hæc pax utrinque firma-
 retur, Carolus Nivernius Dux a Khevenh.
 Cæsare veniam rogare jubebatur, Annal.
 præscripta eidem hac deprecationis Ferd. II.
 norma: t. II. p. 1230.

„Sacratissime, & Augustissime Ro-
 manorum Imperator, Domine
 „Domine Clementissime. „

„Quæ jam tum ab initio apprehen-
 „sæ possessionis utriusque Ducatus Man-
 „tuæ & Montisferrati a Majestate Ve-
 „stra Cæsarea tum ratione sequestri or-
 „dinata mihiq; serio injuncta, tum
 „vero in diversis tractatibus optima in-
 „tentione proposita fuerint, prope me-
 „mini. Etli vero, quominus vel se-
 „que-

Sæc. XVII. „questro locum dare, vel conditiones
 A. C. 1630. „illas admittere tenerer, solidis ratio-
 „nibus me tutum existimaveram, unde
 „contigit, ut ad conservandum, que
 „a me fuerant apprehensa, appropin-
 „quantibus Majestatis Vestræ legioni-
 „bus viribus & armis me opponerem
 „atque inde ditone Mantuana ipsaque
 „Metropoli, & fortalio amisso ani-
 „mum tamen non despondeam, quin
 „summi Pontificis & Serenissimi Re-
 „gis Christianissimi intercessionibus, tum
 „vero tranquillitati publicæ tantum
 „Majestas Vestra Cæsarea animo he-
 „roico tributura sit, ut me deprecan-
 „tem oblitterata præteritorum memo-
 „ria in gratiam & protectionem Impe-
 „rialem recipiat, atque ad jura, præ-
 „tensiones meas, necnon in illum sta-
 „tum, in quo ante motus hosce belli-
 „cos eram, Clementissime me restituat:
 „quemadmodum vigore præsentium de-
 „mississime rogo, sancteque polliceor,
 „ex hac hora omnibus & quibuscun-
 „que fœderationibus & adhærenti-
 „bus, Majestati Vestræ Cæsareæ sacro-
 „que imperio adversis renuntiare, a
 „sola Majestate Vestra Cæsarea Domi-
 „no meo directo & supremo ratione du-
 „catuum Mantuæ & Montisferrati de-
 „pendere, sub illius protectione vivere,
 „& quemadmodum horum vigore obse-
 „quen-

„quentem Majestatis Vestrae sacri Im- Sæc. XVII.
 „perii Vasallum decet, quatenus & in A. C. 1630.
 „quantum hactenus a recto tramite
 „aberraverim, constantibus obsequiis
 „& ultraneo fortunarum, sanguinisque
 „impedio prompte & sincere me de-
 „mereri & restaurare velle. „

§. CIII.

*Ferdinandi II. Cæsaris literæ ad Phi-
 lippum IV. Hispaniarum
 Regem.*

Verum ea, quæ circa Italix pacem Ferrer. l. c. 1
 Ratisbonæ erant conclusa, nec Khevenhill.
 Franciæ nec Hispaniæ Regibus proba- l. c. p. 1231.
 bantur: quapropter Ludovicus Rex
 Brulardo negotium dedit, ut Cæsari
 significaret, nunquam initæ pacis pacta
 a Gallis rata habenda, nisi quidam ar-
 ticulari ad Regis votum immutarentur:
 interim Gallis Belliducibus in Italia
 præceptum, ne proposita pacis capita
 executioni darent. Indignabatur e-
 tiam Philippus Hispaniæ Rex, quod
 sibi incio ac invito leges a Cæsare Gal-
 lisque Oratoribus fuissent præscriptæ:
 ipse etiam Cæsar ægerrime ferebat im-
 portunitatem, qua Electores ipsum ad
 firmandam hanc pacem urgebant,
 priusquam Hispani Regis, cujus tamen
 plurimum intererat, consensus fuisset
 ex-

Sæc. XVII. exquisitus. Eapropter Imperator, ne
 A. C. 1630. inde novum offensionis argumentum

oriretur, die decima quarta Octobris
 ad Philippum Regem has dedit literas:

„Tandem aliquando, quod Deus opti-
 „mus maximus nobis & toti Reipubli-
 „cæ Christianæ salutare esse velit, post
 „longos difficilesque tractatus pacem
 „cum Serenissimo Franciæ Rege Chris-
 „tianissimo concludi fecimus iis legi-
 „bus & conditionibus, quas ex ad-
 „iuncto exemplari Serenitas Vestra ple-
 „ne intelliget, ad quod nos impule-
 „runt pene continuæ & plane efficaci-
 „ter tum per nuntios, tum per literas
 „ingeminatæ identidem cohortantis
 „summi Pontificis voces, quibus ac-
 „cesserunt instantium quotidie, & ex-
 „postulantium Electorum Imperii, ce-
 „terorumque Principum, ac statuum
 „flagitationibus, ac ceteris belli incom-
 „modis ferendis impares se ac plane
 „jam nullas esse contestantium, &
 „novi deinde in Germania alii ex aliis
 „suborientes subinde veteresque motus
 „dum satis sopiti motus non suadere-
 „tantum, sed plane postulare videban-
 „tur, ut propius nos, armis & viribus no-
 „stris, inde ex Italia revocatis succin-
 „geremus, iisque qui vel in ipso Impe-
 „rio causas rebellandi novas susci-
 „tant, vel exterius, quæ in ipsum Im-
 „perium

„perii solum adductæ jam sunt, aut ti- Sæc. XVII.
 „mentur adhuc, copiis opponeremus, A. C. 1630.
 „nam & de Suecianis, & apparatus
 „bellicis inaudierit jam Serenitas ve-
 „stra, & qua vel ille, vel quieturus non
 „creditur Turca, spe ac confidentia
 „nitatur, ex re ipsa pro sua prudentia
 „facile conjiciet, animi nimirum om-
 „nium pene Ordinum Imperii, qui Re-
 „ligione a nobis dissident, promulgato
 „nuper nostro de restitutione bonorum
 „Ecclesiasticorum Edicto Cæsareo exul-
 „cerati, ejus vim ac sententiam quo-
 „quo modo effugere laborant, quibus
 „Spiritus & fiduciam nova adversan-
 „tium auxilia subministrant, his neque
 „locus ulterior datus, neque permit-
 „tendum, periculofiori bello materiam
 „conflari, quo non minus nos quam
 „Religio Catholica & decus ipsa peti-
 „tur, & sane ipsam Italiam vel fuman-
 „tis adhuc belli vel grassantis etiam
 „nunc pestis sævitia, ceterarumque
 „calamitatum collecta in unum vis ita
 „viribus omnibus ac nervis ipsis desti-
 „tutam fecerat plane jam longiori bel-
 „lo & oneribus ferendis, ut superesse
 „non possiet, neque consultum videba-
 „tur, contra tot undique & circumqua-
 „que imminentes hostes, nostras, &
 „Vestræ Serenitatis vires distrahi diu-
 „tius: restabat igitur, ut locum confi-
 „liis

Sæc. XVII. „liis & temporum & præsentium pe
 A. C. 1630. „riculorum necessitatibus suggestis da
 „remus, & hanc pacem firmemus au
 „toritate nostra & imperii, necnon
 „dignitati Augustæ domus nostræ Au
 „striacæ satisfactio data non aspernanda
 „tum vero securitati Regnorum ac pro
 „vinciarum Serenitatis Vestræ, cuius
 „præclara & sumptuosa auxilia bello
 „hoc italico præstita gratissimo animo
 „agnoscimus, sat provisum esse vide
 „ri potest: quæ spectasse nos inprimis
 „intellexerit jam forte aut simul cum
 „iis intelliget Serenitas Vestra ex lite
 „ris Oratoris sui Ducis Turfi, quocum
 „de his omnibus communicari iussimus,
 „quamquam ille huic tractationi se sub
 „traxerit, quod nihil hoc loci sibi com
 „missum allegaret, speramus autem
 „valde, planeque confidimus, conjun
 „ctis hoc pacto, ac propriis unitis viri
 „bus eorum, qui Rempublicam Chri
 „stianam sanctam ac solam Salvificam
 „Catholicam Religionem salvam vo
 „lunt, Deum optimum Maximum il
 „los successus largiturum, quibus in
 „doleat & ingemiscat hæresis, lætetur
 „autem & triumphet aliquando orbis
 „Catholicus, cuius pars lætitiæ ad
 „Serenitatem Vestram maxima perti
 „nebit, quam glorioso Catholici titulo
 „per Vicarium suum Christus super
 „alios

„alios Christiani nominis Principes co-
 „ronavit, quod ita fieri vovemus, Ei-
 „dem Serenitati Vestrae omnia ex ani-
 „mi sui sententia ad suam & Reipu-
 „blicæ salutem evenire ex animo pre-
 „cantes. Datum Ratisbonæ decima
 „quarta Octobris anno millesimo sex-
 „centesimo trigesimo.,,

§. CIV.

*Novæ lites ex Cæsareo restitutionis
 edicto ortæ.*

Cum vero Protestantes Cæsarei edicti
 abrogationem in comitiis ab Im-
 peratore extorquere haud potuissent,
 aliunde vero bonorum Ecclesiasticorum
 quæ hucusque usurpaverant, conser-
 vationem ipsius etiam Religionis suæ
 dispendio redimere parati essent, hinc
 Saxo & Brandenburgicus Electores apud
 Annebergam convenientes statuerunt,
 quod desuper cum omnibus ceteris Pro-
 testantibus in quodam conventu con-
 ferre velint: eapropter Joannes Geor-
 gius Elector prævia cum Saxonis Or-
 dinibus Torgaviæ comitia habuit, in
 quibus de opportunis Cæsari, si sup-
 petias contra Suecos petiturus esset,
 sese opponendi mediis, necnon de
 proximo omnium Ordinum Protestan-
 tium conventu deliberatum est; ini-
 ni-

*Lotich. rer.
 Germ.**l. 33. c. 6.
 Khevenh. l. c.**p. 1250.**Hist. Eccles. Tom. LIX.*

Y

ini-

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

iniquo enim animo ferebat Saxonie Elector, quod nuper Ratisbonæ sub committiorum finem Saxonici Oratores cum Catholicis convenerint, ut conventus Francofordiæ celebraretur, ibidemque de edicti rigore mitigando vel suspendendo ageretur, cum tamen Protestantes abrogato penitus edicto erepta Ecclesiasticorum bona sibi armorum potentia asserere confiderent. Eo fratre Saxonie Elector, priusquam Francofordiæ hæc transactio fieret, omnes Principes, Ordinesque Protestantes ad conventum die sexta Februarii anni sequentis Lipsiæ celebrandum convocabat, die vigesima nona Decembris edito hanc in rem diplomate.

Præterea inter ipsos Catholicos qui bona erepta sibi restitui petebant frequentes circa hoc edictum movebantur quæstiones ac lites: Postulabant enim nonnulli, nec immerito, ut hæc bona pristinis suis Possessoribus, Ecclesiæ vel Ordini Religioso, etsi forte ex Canonicis, vel Monachis illius Collegii, Ecclesiæ aut Monasterii nullus ibidem superfit, restituenda essent: Alii hæc bona aliorum Ordinum Religiosorum, vel Episcopis in compensationem damnorum, vel Principibus sæcularibus, vel ipsimet Cæsari ad resarciendas belli expensas esse reddenda contendebant.

Non deerant novæ cujusdam Religiosæ **Sæc. XVII.**
 Societatis Alumni, qui Abbatiis in- **A. C. 1630.**
 hiantes bona Ecclesiastica sibi cedi ef-
 flagitarent, hoc usi obtentu, quod
 longe utilius in pauperum Scholas,
 Collegia, & Clericorum Seminaria
 transferrentur, quam si suis quæque
 Ordinibus, quibus fundata erant, re-
 stituerentur. His quoque favebat Ur-
 banus VIII. Pontifex: supremum vero
 Imperii judicium Auilicum antiquis suf-
 fragabatur Possessoribus, ipse etiam
 Ferdinandus II. Imperator, etsi apud
 eum hi Socii plurimum auctoritate va-
 lerent, prævalente tamen æquitatis
 pondere illis, quibus juxta Fundato-
 rum mentem antea competebant, cun-
 cta bona restitui præcepit. Ex utra-
 que parte Romæ & Viennæ acres de-
 super fiebant contestationes, in Ro-
 mana Curia Cæsaris partes tuente Pau-
 lo Savellio ejus Oratore, in Aula vero
 Viennensi, Pontificis nomine rem a-
 gente Cardinale Joanne Baptista Pal-
 lotta, inter quos mediatorem agebat
 Richelius Cardinalis: Ne vero Pon-
 tifex importunis aliorum precibus, a-
 liisque machinationibus deceptus, quæ-
 dam Monasteria aliis, quam quibus
 antiquo jure competebant, conceder-
 et, hinc Ferdinandus præcipue Bene-
 dictinorum patrociniū in se suscipiens,
 præ-

Sæc. XVII. præfatum Savellum Oratorem suum
 A. C. 1630. Romæ agentem crebris literis præve-
 nerat, ac die vigesima quinta Aprilis
 Vienna has ad eum dederat literas:
 „Humillime nobis exposuerunt Præles
 „& universa Congregatio Bursfelden-
 „sis, Ordinis S. Benedicti, sese pro of-
 „ficii sui munere nunc in eo satagere,
 „uti Monasterium S. Michaelis, in op-
 „pido Lunæburgensi situm, Ordini suo
 „S. Benedicti consecratum, & ab opi-
 „mis redditibus, ac Religiosorum fræ-
 „quentia olim celebre, vigore Edicti
 „nostri Cæsarei in imperio publicati
 „recuperent, vereri tamen, ne alii po-
 „tentiores, & favore & gratia valentes
 „in Curia Romana præveniant, idem
 „que Monasterium sibi per modum in-
 „corporationis, commendæ, aut alia
 „via directe vel indirecte concedi pe-
 „tant, & impetrent, quod univèrso
 „isti Ordini singulari præjudicio futu-
 „rum, atque idcirco ut indemnitati suæ
 „hac in parte clementer consulere di-
 „gnemur, suppliciter nos rogarunt.
 „Constat autem jam ante vobis de e-
 „nixa voluntate ac resolutione nostra,
 „quæ est, ut Monasteria, & loca sacra
 „e manibus adversariorum vindicata,
 „nonnisi Ordinibus, quibus a primæva
 „fundatione consecrata fuerant, resti-
 „tuantur. Nec dubitamus vos istius
 „quo

„quoque diligenter curaturos, ut ju- Sæc. XVII.
 „stissimæ illi intentioni nostræ stetur, A. C. 1630.

„nec quidquam in contrarium a Sancti-
 „tate sua concedatur, adeo, ut ulterius
 „hac in parte vos admonere superva-
 „caneum judicemus. Attamen ut Reli-
 „giosus ille Ordo magis magisque agno-
 „scat, Imperialem sollicitudinem, sibi
 „quacunq[ue] occasione constare, cle-
 „menter iterato vobis committimus,
 „ut invigiletis, ne & in hoc particulari
 „præpropere quid isthic statuatur, quod
 „Ordinum juribus quoquo modo præ-
 „judicare possit, erit id benignæ volun-
 „tati nostræ congruum, qua in omnes
 „occasiones erga vos propendemus.,

Ejusdem tenoris epistolam ad eun-
 dem die prima Julii Ratisbona dedit
 Imperator, hæc perscribens: „Expe-
 „diunt istuc in urbem Prælati Ordinis
 „S. Benedicti, e Suevia, ablegatos suos
 „viros Religiosos, ut apud nos nego-
 „tia ad conservationem & incremen-
 „tum Religionis suæ pertinentia sollici-
 „tent, atque id sollicite præcaveant,
 „ne quid in concurrentium multitudine
 „impetretur, quod Ordini ipsorum præ-
 „judiciale, nostræ vero rectissimæ in-
 „tentioni, ut unicuique sua restituan-
 „tur, & conserventur, contrarium esse
 „queat, demisse proinde rogantibus,
 „ut hic loci protectionem illorum su-
 „scipe-

Sæc. XVII. „scipere dignaremur, clementer deesse
 A. C. 1630. „noluimus, benigne vos requirentes,
 „quemadmodum jam pridem literis di-
 „versis mentem nostram declaratam ha-
 „betis, nolle nos, ut Monasteria & bo-
 „na Ecclesiastica, auctoritate nostra re-
 „stituta aut restituenda nobis in scis &
 „invitis, quorum interest, aliorum usi-
 „bus applicentur, ut proinde horum
 „Religiosorum sollicitudinem auctori-
 „tate nostra Imperiali adjuvetis, ipsi-
 „que ubicunque fuerit necessum, ad
 „consequendum, quæ juste postulant,
 „ope, patrocínio & suffragatione vestra
 „viam faciliorem reddatis, quod au-
 „ditu nobis erit gratissimum, vobisque
 „cedat in commodum gratiæ nostræ
 „Imperialis, qua benignissime vobis
 „inclinamur.,

§. CV.

*Gustavi Adolphi Sueciæ Regis pro-
 gressus ad mare Balthicum.*

Lotich. l. 32. cap. 2. Interim Gustavus Adolphus Sueciæ
Annal. Boic. part. 3. l. 15. Rex octoginta ferme armatorum mil-
Pufend. l. 2. pag. 26. lia contraxerat, in Germaniam eruptu-
Barre Hist. d'Allemagne t. 9. p. 601. rus, quo eum ex Protestantibus non
Khevenh. Annal. t. II. pag. 1666. pauci in subsidium laborantis hæresis
 & excidium Germaniæ evocaverant,
 cunctique eum clanculum ope & con-
 filiis adjuvabant, ut a novo hoc
 Papa

Papa indulgentiam plenariam seu re-
 missionem omnium bonorum Ecclesia-
 sticorum impetrarent. Ne tamen Rex
 bellum temere suscepisse crederetur,
 inopinæ expeditionis suæ causas divul-
 gato diplomate exposuit, pacisque com-
 positionem Gedani tentari consensit:
 Decreverat eo Imperator Carolum a
 Dona, Rex vero Axelium Oxenstir-
 nium, Bannerum & Sparthium Lega-
 tos. Postulabat Rex, ut Cæsar mili-
 tem ex tota Saxonia educeret, & na-
 vigatione inhibita arces ad mare Bal-
 thicum destrueret, litesque de bonis
 Ecclesiasticis, necnon Procerum reo-
 rum causas Ordinum Imperii iudicio
 decideret, eosque, qui in Cæsarem
 vel Imperium deliquisse convicti fue-
 rint, non nisi pecunia mulctaret: ac-
 ceptatis vero hisce conditionibus Sue-
 cus præfidiariis Stralsunda abductis
 quantocius e Germaniæ finibus exces-
 surus esset. Verum hæc erant postu-
 lata, quæ Imperator sine Cæsareæ au-
 thoritatis dispendio acceptare haud pos-
 set: unde abrupta tractatione, Legati
 abcessere, non sine certo atrocissimi
 belli augurio. Priusquam vero Rex e
 Suecia solverat, alteras ad Electorale
 Collegium literas dedit, præcipue que-
 stus, quod sibi Regis titulus fuisset de-
 negatus, nec ulla ad pacem concilian-
 dam

Sæc. XVII. A. C. 1630. dam media ab eis suggesta: postea re-
 sponso haud expectato copias suas in
 Rugia Insula, quam Alexander Les-
 leus ejectis vi Cæsareis occupaverat,
 exposuit, interceptisque Usadomia &
 Julino Insulis, variisque in ora mariti-
 ma propugnaculis Wolgastum, Camie-
 num, aliasque Urbes obsidione expu-
 gnavit, Cæsareis aut fugatis aut caesis
 demum promotis castris Rex Stetinum
 Pomeraniæ Caput advenit, civesque
 magno numero egressos ad ultroneam
 urbis deditonem sollicitavit, exponens
 quod Religionis suæ fociis auxilio fu-
 turus, oppressamque diu libertatem vin-
 dicaturus advenisset, pollicitus, quod
 milites sui sine omni civium molestia
 suo ære cuncta empturi essent. Ita de-
 linitis omnium animis Bogilaus Dux
 urbem unacum tota Pomerania Regi
 pactis conditionibus tradidit. Rapido
 hoc victoriarum cursu animatus Rex,
 in Megapolitanos movit, iussitque in-
 colas, ut ad Ducum suorum obsequium
 redirent, repudiato sacramento, quod
 Wallensteinio dixissent, pariter Hallæ
 Landgravios, necnon Carolum Fran-
 ciscum Saxo-Lauenburgicum Ducem,
 qui tamen a Papenheimio paulopost
 captus, suoque Ducatu exutus est,
 ad suas partes pertraxit, simulque Bran-
 deburgico Electori, ut neutrarum par-
 tium

tium esset, concessit, ea tamen lege, **Sæc. XVII.**
 ut Cæsareos e ditionibus suis exigeret: **A. C. 1630.**

Sola adhuc Colberga Sueci victoris cursum morabatur, quam tamen urbem Gustavus arctius cinxit, Cæsareosque obsidionem solvere tentantes non sine clade repulit. Postquam igitur velut fulminis instar plures in ora maritima Provincias percurrisset, Cæsar atque Electores Ratisbona ad eum literas dederunt, illum hortati, ne rebus Germaniæ sese immisceret, sed milite inde abducto pacem redderet, quam bello absque ulla denuntiatione illato violasset. Verum Rex tot victoriis & Protestantium favore tumidus, Tribuno Cæsaris literas deferenti subridens dixit: *respondebo, quamprimum plaga, quam brachio meo aquila inflixit, erit sanata,* nempe Rex innuere voluit, se Cæsari responsurum post vindicatam injuriam sibi illatam ob copias Polonis contra Suecos submissas. Postea autem Ferdinando Rex respondit, mirum sibi videri, quod Cæsar ad eum tantquam Imperii Principem scriberet, qui tamen ne pugillum quidem terræ Imperio obnoxium haberet: merito autem se conqueri, quod Electores sua nomina Regio nomini in suis literis præposuissent: de cetero se polliceri, si suorumque securitas honesta pace æquis-

Sæc. XVII. que conditionibus obtineri posset, se
 A.C. 1630. protinus arma positurum. Verum Rex
 promissis liberalior quam facto, postquam Cæsaris copias fame rerumque inopia plurimum imminutas a Schaumburgio ad vicina Garcii loca distribui compererat, exercitum suum eduxit, ac Greiffenhagam occupavit, diffugientibus præsidiariis, pari que celeritate Garasium interceptit. Hanc armorum felicitatem haud parum promoverat miseranda Cæsarei exercitus facies; quippe is adeo frigore, inedia, morbis & transfugis diffluerat, ut Schaumburgius Comes, qui Torquato Contio fatis functo successerat, vix octies mille armis ferendis pares inveniret: Quod autem exercitus tam formidandus, tot victoriis, viribusque clarus, tot spoliis dives ad extremam inopiam, miseriamque fuerit redactus, causam potissimi refundunt in nimiam vitæ, rapinarum, populationumque licentiam a Wallensteinio permissam, inque neglectam erga Deum pietatem; multi enim virgari, quisnam esset religiosus veri Dei cultus, in hoc bello adoleverant: unde haud mirum, Numinis afflatum, sine quo confusa sunt omnia, cælestemque opem, sine qua res summæ corruunt, a bene cæptis defuisse.

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

§. CVI.

*Cardinales jussu summi Pontificis deinde
dicti Eminentissimi.*

Quantumvis jam duodecimo Eccle-
siae sæculo Cardinalium dignitas
novis, eximiisque prærogativis fulgere
cæpisset, dum Clero, populoque ex-
clusis ad ipsos solos Romanum Pontifi-
cem eligendi jus restrictum, eisque in
pertractandis negotiis, causisque Ec-
clesiasticis præcipuus post Papam locus
fuit assertus: nihilominus hoc item
anno Urbanus VIII. Cardinalibus, ut
non modo Purpura & colore, sed &
nominis nobilitate ab aliis discerneren-
tur, *Eminentissimi* titulum concessit.
Die enim decima Junii habito solemn-
i conventu Cardinales decreverant, sup-
plicandum esse summo Pontifici, qua-
tenus indulgere velit, ut deinceps *Emi-
nentia* prærogativa decorarentur: Hanc
in rem sequens confecere decretum:
„Sæcra Congregatio cæremoniarum
„S. R. E. Cardinalium censuit, si Sancti-
tati Vestræ placuerit, loco titularum
„*Illustrissimi, & Dominationis Vestræ Il-
lustrissima*, quibus hætenus usi sunt
„Cardinales, titulos *Eminentissimi*, &
„*Vestræ Eminentia* unacum antiquo ti-
tulo *Reverendissimi* in posterum esse de-
„bere

Sæc. XVII. „bere proprios & peculiare Cardina-
 A. C. 1630. „litæ dignitatis; ita ut præfati tituli
 „*Eminentissimi & Eminentiæ* a nemine
 „præterquam ab Ecclesiasticis Romanis
 „Imperii Electoribus, ac Magistro Ho-
 „spitalis Jerosolymitani usurpari possint
 „aut aliis attribui: eosdemque titulos
 „a singulis Cardinalibus præsentibus
 „& futuris omnino assumi; illisque in-
 „ter se tam voce quam scripto perpe-
 „tuo uti debere, quod si contigerit ali-
 „quem cujuscunque dignitatis, gradus
 „& conditionis Imperatore ac Regibus
 „exceptis, hujusmodi titulos alicui Car-
 „dinalium non tribuere, Cardinalis ille
 „nullatenus cum eo coram agat, nec
 „ejus literas quoquo modo recipiat.
 „Insuper censuit, supplicandum esse
 „Sanctitati Vestræ, ut per suum con-
 „sistoriale Decretum præcipere digne-
 „tur, ceteris omnibus, & singulis Ec-
 „clesiasticis cujuscunque conditionis,
 „gradus, & dignitatis, etiam Episco-
 „pali, Archiepiscopali, Primatiali seu
 „Patriarchali Dignitate præfulgentibus,
 „ne præfatos *Eminentissimi & Eminen-*
 „*tix* titulos quoquo modo sibi usurpent,
 „sed pœnis indignationis Sanctitatis
 „Vestræ, & Romanorum pro tempore
 „Pontificum, inhabilitatisque ad alias
 „dignitates, & incapacitatis quarum-
 „cunque gratiarum seu indultorum Se-
 „dis

„dis Apostolicæ, ac amissionis fructuum Sæc. XVII.
 „suarum Ecclesiarum ipso facto incur- A.C. 1630.
 „rendis.,

Horum igitur precibus inclinatus Pontifex, Cardinales deinceps Eminentissimos appellari iussit: cum tamen antea non nisi *Reverendissimi*, Episcopi autem sæculo vix evoluto duntaxat *Reverendi Patres* fuissent nominati, qui titulus postmodum Sacerdotibus Regularibus, quos antea *Fratres* nominare consuetum erat, fuit attributus, dum Episcopi *Illustrissimi ac Reverendissimi* nominari cæperant.

§. CVII.

Patris Bertrini liber a Rothomagensi Senatu damnatus.

Hoc item anno Rothomagensis Senatus ad rogum damnaverat quasdam Tabulas Chronologicas, quas P. Bertrinus Jesuita Rotomagensis Collegii Rector mutuato nomine Tanquereli typis vulgavit. Vix autem hic liber publicam aspexerat lucem, cum illico non pauci hunc partum Regiæ auctoritati, Ecclesiæ Gallicanæ doctrinis, Regni que legibus adversum detestarentur: Eapropter Senatus Tanquerelum comprehendendi, ac examini subjici iussit, hic autem interposita juramenti religione

*Abrege
 chronol. de
 l'hist. Eccl.
 t. 3. p. 430.*

Sæc. XVII. gione affirmabat, quod non ipse hujus
 A. C. 1630. libri Auctor esset, sed Pater Bertrius
 eidem hæc tabulas transmiserit pro
 lo subjiciendas. Præcipua vero, quæ
 in hoc libro Guerchius Regii Senatus
 Advocatus censuris digna censuit, erant
 sequentia, & quidem I. quod in Tabula
 in qua summorum Pontificum nomina
 recensentur, Christus Dominus nomi-
 naretur, & post hunc sanctus Petrus
 ceterique Pontifices, qui ejus Vicarii
 debuissent nominari: proin harum Ta-
 bularum Author hac serie indicare vo-
 luerit, *Papam esse legitimum Christi Do-
 mini Successorem*, quæ tamen proposita
 Anno Domini millesimo sexcentesimo
 undecimo a Sorbonæ Doctoribus tan-
 quam hæretica fuisset rejecta. II. Quod
 in serie Patrum & Ecclesiæ Doctorum
 recensuerit Molinam, Suaresium, Vas-
 quesium, Bellarminum, pluresque alios
 Jesuitas, quibus tamen gloriosus
 hic titulus a nullo Concilio fuerit attri-
 butus, eorumque doctrina doctrinæ
 Ecclesiæ Gallicanæ, receptisque Regiæ
 legibus adversetur. III. Quod ad cata-
 logum hæreticorum rejecerit Guillel-
 mum a sancto Amore, absdubio, ideo
 quia propugnauerat, quod Regulares
 Episcopis & Parochis subjecti esse de-
 berent, nec virtutem saperet, sese ul-
 tro mendicitati addicere, nec Eleemo-
 synam

synam, sed castigationem pauperibus Sæc. XVII.
 validis esse debitam, hosque æque ac A. C. 1630.
 Monachos panem suum labore manuum
 sibi procurare, teneri. Insuper hære-
 ticus accensuerit Marfilium Patavinum,
 aliumque Jureconsultum, eo quod Lu-
 dovicum IV. contra Joannem XXII,
 propugnarint: Denique etiam Petrum
 de Gugnieres celebrem Parisinæ Cu-
 riæ Advocatum hæreticis annumerarit,
 quia hic sub Philippo VI. Valesio pro-
 pugnasset, quod jurisdictio Ecclesia-
 stica sit profanæ potestatis abusus. IV.
 Quod ennumerando Galliarum Reges,
 Henrico IV. titulum Navarræ Regis non
 attribuerit, & hoc quidem non ex in-
 curia, sed studio, ne Hispaniæ Regem,
 qui sibi hunc titulum arrogat, offende-
 ret, cum tamen in eadem serie Hen-
 ricum III. titulo Regis Poloniæ hono-
 rasset. V. Denique in postrema co-
 lumna *de rebus in Occidente gestis* asse-
 ruerit, quod *Pipino Regnum asseruerit*
Zacharias Papa, pulso Childerico ultimo
ex Clodoveanis, perinde ac si Pipinus
 Franciæ Rex Caroli Magni Pater Chil-
 derico Franciæ Regi per Zachariam
 exauctorato per eundem Pontificem
 fuisset subrogatus, proin Franciæ Re-
 ges Regnum summo Pontifici in ac-
 ceptis referre tenerentur, cum tamen
 Franciæ Ordines Childerico improli,
 atque

Sæc. XVII. atque Regiminis incapaci, suæque stir-
A. C. 1630. pis postremo, de Regni tranquillitate
 prospicere intenti, cum Regem ex-
 auctorare, sibi haud licere crederent,
 Zachariam Papam desuper duntaxat
 consultare voluerint &c.

§. CVIII.

*Oblatæ Confessionis Augustanæ Ju-
 bilæum a Lutheranis celebratum.*

*Brachel.
 Hist. l. 4.*

Eadem die, qua Gustavus Adolphus
 Sueciæ Rex Ruggiensem portum ap-
 pulsus, in Germaniæ excidium copias
 suas exposuit, quidam Protestantes
 Germaniæ Principes, civitatesque sæ-
 cularem seu anniversarium diem, quo
 sæculo Superiore in comitiis Augusta-
 nis Carolo V. Imperatori Confessionem
 suam Augustanam obtulerant, ingenti
 festivitate præceptisque jejuniis die vige-
 sima quinta, sexta & septima Mensis
 Junii celebrarunt. Verum haud im-
 merito dubitabant multi, an non for-
 te hujus pompæ causa potius Novita-
 tis humanæ labem in Protestantium
 Religione detexerit; si enim primum
 anno 1530. hujus fidei professio a Lu-
 thero & Melanchtone confici, & coram
 Cæsare prælegi debuit, sequi videtur,
 quod ante quatuordecim sæcula aut non
 existerit, aut sub modio latuerit, quin
 ullus

ullus suæ salutis studiosus ei nomen **Sæc. XVII.**
dare, suæque salutis medium unice **A. C. 1630.**
necessarium arripere potuerit: si vero

doctrina, cujus confessio & professio
tunc primum fuit confecta, jam per
tot sæcula viguit, superfluum fuisse vi-
detur, quod doctrina omnibus cognita
& tam diuturno tempore adoptata pri-
mum exponeretur, & primum jubilæum
ob receptam hanc fidem celebraretur,
& si cuncta Augustanæ confessionis do-
gmata a Christo & Apostolis usque ad
annum 1530. translata fuere, cur anti-
quæ huic doctrinæ in nova hac con-
fessione contentæ Wirtenbergenses, Ul-
meneses, Nordlingani, Ratisbonenses,
Francofordiani, imo & ipsimet Augu-
stani, pluresque alii Principes divinæ
huic fidei tum subscribere detrectarunt,
cur Melanchton illius fabricator pro-
fessus est, Confessionis hujus articulos

subinde mutandos esse, atque ad occasiones **Lib. I. Epist.**
accommodandos, cur ipsemet ab ea ad **ep. 2. § I.**
Calvini doctrinam defecit, professus, **tom. I. lat.**
Lutherum irritatum Tezelii æmuli sui im- **in Præfat.**

NOVAM doctrinam EXCO-
GITASSE: cur hæc doctrina, si fem-
per & tunc fuit Divina & vera, toties
fuit immutata (*), ita, ut ipsimet Pro-
testan-

(*) Lutherani Præcones anno 1541. in col-
loquio



Sæc. XVII. testantes in Colloquio Herzbergensi, &
 A. C. 1630. Musculus illam duodecies mutatam
 fuisse testentur, Wittenbergenses Theo-
 logi in Colloquio Altenburgensi, Wir-
 tenbergense exemplar ab Augustana
 exemplari discordare fateantur, & Je-
 nenses illam Polonicæ ocreæ utriusque
 pedi accommodæ ob multipliciter, &
 articulorum inter se pugnantium vari-
 etatem conferant, demum ipsemet Chy-
 træus integrum volumen de immutata
 & depravata Confessione Augustana
 diderit, & anno 1532. Joannes Petreus
 Norimbergæ Confessionem ab Augu-
 stana dissonam publicis typis vulgavit.
 Præterea anno 1739. die nona Maji, in
 proxima Dominica post vigesimam quin-
 tam Junii diem non modo Confessio Au-
 gustana, sed etiam illius historia po-
 pulo proponeretur, in universa ditione
 Wirtenbergensi sancitum fuit, huncque
 in finem quædam hujus promulgationis
 formula a Prædicantibus servanda, fuit
 præscripta, in qua hæc leguntur verba

loquio Ratisbonensi articulum 10. in quo de-
 ctum, quod Corpus & Sanguis Christi *sub spe-*
ciebus &c. contineatur, immutarunt, particu-
 culam *cum* subrogantes, huncque articulum
 tanquam immutatum, emendatum, auctore
 que Directorio tradiderunt. vide Acta Collo-
 quii Ratisbon.

quod Augustana Confessio paulopost fuerit **Sæc. XVII.**
IMMUTATA, inficiari non possumus, **A. C. 1630.**
 id autem insciis Evangelicis Confessoribus
 exteris a Melanchtone complacendi studio
 factum est.

§. CIX.

*Controversia inter Facultatem Theo-
 logicam, & Canonicos Ecclesiæ
 Cathedralis Parisinæ circa
 habitum Theologalem.*

Ingens hoc anno velitatio exorta est in-
 ter Capitulum Ecclesiæ Metropoli-
 tanæ Parisiensis, & Facultatem Theo-
 logicam, ejusque Cancellarium: Hæc
 enim ex antiqui juris prærogativa con-
 tendebat, ut omnes cujuscunque di-
 gnitatis Theologi in publicis Faculta-
 tis actibus consueto Doctorum habitu
 induti comparerent: cum vero Samuel
 Martineau Sorbonæ Doctor ac præfatæ
 Ecclesiæ Canonicus quosdam ejusdem
 Capituli Baccalaureos primo Doctora-
 tus honore decorandos Facultatis Can-
 cellario præsentare vellet, sacra Facul-
 tas die secunda Februarii decrevit,
 quod illos quidem Cancellario produ-
 cere posset, habitu tamen Theologico
 & Doctorali vestitus accederet. Eo au-
 tem aliquamdiu tergiversante Facultas
 die nona ejusdem Mensis ex illo scisci-
 taba-

*Acta univ.
 l. 7. fol. 167.
 & seqq.
 Argentre
 Conclus. S.
 Facult. Pa-
 ris. tom. 2.
 pag. 309.*

Z 2

Sæc. XVII.

A. C. 1630.

tabatur, an non apud Cancellarium in pelliceo Doctoris habitu perorare vellet? eo autem respondente, hoc sibi non interesse, sed Ecclesiæ Parisiensis sibi que haud integrum fore, hanc conditionem admittere, Facultas ipsius locum Edmundum Amiot Doctorem Sorbonicum, qui Canonicos promovendos Cancellario repræsentaret, selegit, simulque quosdam designavit Doctores, qui oppositas Canonicorum rationes eliderent. Hi enim sibi injuriam fuisse illatam querentibus, eo quod Canonicus eorum habitus despiceretur, perinde ac si hæc vestitus habitum Doctoris sacræ Facultatis referre haud posset. Postquam vero summi Parisiensis Senatus decreto Antonius de Breda nominabatur, ut Oratorem ageret apud præfatum Cancellarium, eique nomine Facultatis Baccalaureos rude donandos exhiberet. Cancellarius in Aula Parisiensis Archiepiscopi Dionysium de la Barde Canonicum ad primum licentiæ gradum admittere statuit, eumque caput tegere & sedere iussit: tum vero deputati Doctores in frequenti Canonicorum, & aliorumque confesso Cancellario declararunt, quod præfatum de la Barde nisi pelliceo Doctorum habitu vestitus detectoque capite coram Cancellario staret, Facultas illum pro promotore non haberet, donec injuriam istam sacræ Facultatis

Facultati illatam refarcierit, ne Facul-
 tatis conniventia liti intentatæ, & a-
 pud Parisiensem Senatam pendentem præ-
 iudicium afferret. Horum oppositione
 offensus Cancellarius Syndico signifi-
 cabat, quod ob concitatas hæc tur-
 bas honorem suum læsum, dignitatem-
 que labefactatam a Facultate restaurari
 peteret. Verum Facultas Cancellario
 respondit, quod non ipse, sed potius
 Facultas de ipso querendi causam ha-
 beret, eoquod neglectis Facultatis ju-
 ribus plus æquo connivere, ac Dio-
 nysio de la Barde favere voluerit, pa-
 rumque summi Pontificis, cujus tamen
 vices hac in parte ageret, honori su-
 premæque dignitati consuluerit: bene-
 igitur Facultati visum sit, ut Nuntio
 Apostolico, ac Cardinali de Bagni a
 Decano ceterisque Facultatis Doctori-
 bus significaretur, quod Cancellarius
 summi Pontificis Vicarius hoc actu de-
 corem non servavit, splendoremque
 summæ Pontificiæque dignitatis immi-
 nuerit. Pariter statuit, ne præfatus de la
 Barde ad primos Doctoratus honores
 promotus haberetur, nisi Facultati
 satisfecerit: de cetero autem Doctores
 seligerentur, qui hanc litem cum
 Parisiensi Capitulo amice componere
 satagerent. Postquam igitur in ædibus
 Decani Ecclesiæ Metropolitanæ, tam

Sæc. XVII. a Canonicis, quam a Facultate selecti
 A. C. 1630. Viri convenerant, varii litis compo-
 nendæ modi fuere propositi, a Cano-
 nicis tamen rejecti, qui totam causam
 Cardinalis Richelii *prudentiæ singulari,*
sagaci judicio & æquissimo arbitrio remit-
 tendam censuerunt: Facultatis vero
 Syndicus tam Facultati quam Collegio
 satisfieri existimabat, si vel absenti mit-
 teretur pileus Doctoralis in speciem
 honoris, vel eum reciperet in Aula
 Archiepiscopi Parisiensis Canonico qui-
 dem habitu indutus, quo tamen exu-
 tus postea in pelliceo Doctoris habitu
 actui publico præsideret: præplacuit
 tamen Facultati, totum negotium Car-
 dinali Richelio esse relinquendum, dum-
 modo hoc negotium in se suscipere, &
 animos utriusque partis ad firmam pa-
 cem reconciliare, eidem placuerit: se-
 cus, Dionysius de la Barde suam in-
 augurationem differat, usque ad pro-
 nuntiatum præfati Cardinalis iudicium,
 interim vero nec locum, nec ordinem
 suum in Facultate amittat: si vero ex-
 spectare nolit, vel non possit, Faculta-
 tem sibi debita submissione demereri
 studeat, pileumque Doctoris *in habitu*
duntaxat Theologici vel intra septa clau-
 stri Ecclesiæ Metropolitanæ, vel extra
 illa, quocunque loco, quo ejusdem
 Ecclesiæ Decano libuerit, accipiat.

§. CX.

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

§. CX.

*Decretum Universitatis Parisinæ de
Jesuitarum Scholis.*

Agitabant Jesuitæ consilia de multi-
plicandis Scholæ suæ classibus, *Argentre l. c. p. 312.*
ita ut quælibet in duas divideretur,
proin duo Collegia in eodem Collegio
Claromontano exstruere possent, hoc
vili obtentu, quod ob maximum Scho-
lasticorum concursum hi commodius
sederent, morbique, qui ut plurimum
æstivo tempore grassantur, arcerentur:
Verum Facultas re comperta die deci-
ma septima Aprilis in æde Rectoris Ma-
gnifici desuper consultabat, confecto-
que libello supplici rem ad Champi-
gnium primum Curia Præsidentem detu-
lit, eo fine, ut per eum cum Regio
Senatu hac de re agere liceret. Præ-
ses vero, ubi Rectorem attente exce-
perat, respondit, *si quid Jesuitæ contra
jus, legesque attentaverint, eos coercebimus.*
Die sequenti Curia, æquam esse Facul-
tatis petitionem censuit, & confestim,
antequam Regio Cognitori Facultatis
libellus ostenderetur, Curia sententiam
Jesuitis denuntiari præcepit, ne hi, si
diutius prædictum libellum retineret
Cognitor, ignorantiam prætexerent.

Z 4

suum-

Sæc. XVII. suumque consilium interim executioni
A. C. 1630. darent.

§. CXI.

*Gabrielis Tressii & Joannis Baptista
Dati Cardinalium obitus.*

*Ciacon. in
vita Pauli V.
& Clement.
VIII.
Ughel. Ital.
sacra.* Postremum vitæ suæ diem hoc anno
clauserat die duodecima Februarii
Gabriel Tressius natione Hispanus, qui
Salmanticensis Academiæ Doctor pro
B. Virginis immaculata conceptione
tantum operæ studique posuit, ut quam-
vis se Romanæ Curie minus addictum
præberet, a Philippo tamen III. Hi-
spaniarum Rege ad Purpuram nomi-
naretur, qua etiam a Paulo V. obtenta
primo Salernitanus postea Malacensis
Episcopus renuntiabatur, ubi etiam de-
natus in sua Ecclesia sepultus est. Hunc
pari fato sequebatur Joannes Baptista
Datus, Patritius Florentinus, quem
Petrus Cardinalis Aldobrandinus suæ
familie quondam fore proficuum ratus
vix Gramatices gnarum annosque non-
nisi septendecim natum Clementi VIII.
Papæ tam importune obtrudit, ut il-
lum Cardinalem nominaret, quamvis
postea illum sæpius poenituerit, quod
juvenem tanto honore indignum ele-
gisset: Datus enim mores Viro Eccle-
siastico indignos exhibuit, multoties
a Cle-

a Clemente VIII. acriter reprehensus, Sæc. XVII. quo postea fatis functo, nonnisi suos A.C. 1630. natales efferre doctus, bijuges per urbem aureis ornatos ephippiis ducebat, tamque immodice fortunæ delitiis, ac vitæ licentiis sese dicabat, ut quantumvis juvenis esset & robustus, ante senium tamen senescens adeo viribus exhauriretur, ut molem corporis sustinendo impar podagra, chiragra, aliisque ejusmodi morbis affligeretur, nonnunquam trunco similior, quam homini viventi: unde rarissime sive Sacris, sive Senatus sacri functionibus intererat, sella domi usus curruli, eoquod nec stare nec surgere posset: nihilominus antiquitatis, optionisque jure, reclamante licet Pontifice, primo Albanensis, postea Tusculanus & Portuensis, demum S. Collegii Decanus renuntiabatur, e vivis sublatus die decima quarta Julii anno ætatis suæ quinquagesimo quarto.

S. CXII.

*Melchioris Cleffeli Cardinalis
decessus.*

Jam supra recensuimus adversantis fortunæ calamitates, quibus Cardinalis Cleffelius fato omnibus ferme Principum clientibus familiari jactatus a

*Vid. supra
Hist. Eccl.
l. 191. S. 25.
tom. 56. p. 97.*

Z 5

su-

Sæc. XVII. supremæ in Aula Cæsarea auctoritatis
A. C. 1630. fastigio ad carceres detrudebatur. Pol-

*Ciacon. in
vita Pauli V.
Priorat.
Hist. di
Ferd. III.
p. I. l. I.
pag. 27.*

quam vero vindicata ejus innocentia
Roma Viennam ad suum Episcopatum
ab Urbano VIII. cujus comitiis inter-
erat, remissus fuerat, vix quinque an-
nos vitæ suæ superstites habuit, ibi-
demque anno ætatis suæ septuagesimo
septimo Mense Octobri defunctus in Ec-
clesia Metropolitana ad S. Stephanum
sepultus est. Ceterum Vir erat in ve-
geta senectute vere magnanimus, at-
que incomparabilis fortitudinis, nullo
sinistri eventus turbine frangi assuetus,
ac plane melioris fortunæ dignissimus:
Vixit Viennæ mira animi tranquillita-
te, nec sese unquam publicis Aulæ hu-
jusque sæculi negotiis ingerere visus est.

§. CXIII.

Principum ac Illustrium obitus.

*Ferrer. cont.
Hist. Hisp.
tom. 12. c. 1.
Nan. Hist.
Venet. l. 4.
Priorat. vit.
E' azzion.
di Person.*

Hoc anno invida mors cum Marte
conspirasse videtur, ut invictos He-
roes, quibus feralia belli instrumenta
perpercerant, saltem in castris inter
plumbeas mortes obrueret: Hoc fato
Carolus Emanuel Sabaudiaë Dux triduo
post acceptum Mantuanæ cladis nun-
tium anno ætatis undeseptuagesimo,
Principatus quinquagesimo die vigesi-
ma sexta Julii Saviliani e vivis subla-
tus

tus est. Princeps erat ingenio, ac a Sæc. XVII.
nisi magnitudine magnus, ditiones A.C. 1630.

suas protendendi cupiditate major, cuius tamen consiliis vires, potentia & felicitas non respondebant, sine dubio major futurus, nisi novis identidem fœderibus novi belli semina sparsisset, ejusque tenuior ditio inter duos Reges armis potentissimos, quorum vires sola arte politica frangere nequiverat, constituta non fuisset. Successorem non modo sui Principatus, sed & ingenii, perspicaciæ & cupiditatis, quam tamen sagacius tegere poterat, hæredem habuit Victorem Amadæum. Magis constantem belli fortunam experiebatur Ambrosius Marchio Spinola, Genuensis, qui contra Batavos, Bohemos, Gallosque crebris victoriis gloriosus Belgii Archiducibus, & Hispanis præclara præstitit obsequia: cum autem exorto Mantuano bello Casalin arcem pene ad incitas jamjam redegisset, atque ab ejus expugnatione, quam intra sex hebdomades promiserat, partim subsidiariis copiis sibi a Collalto denegatis, partim induciis inopino pactis præpediretur, tædio exinde concepto in gravem morbum incidit, ex quo paulopost die decima quinta Septembris Mediolani decessit. Postremis vitæ suæ diebus acerbè incusabat Hispanorum ingra-

Sæc. XVII. ingrati-
 tudinem, eoquod ab Abbate
 A. C. 1630. Scaglia, apud Olivaresium Hispani
 Regis Ministrum falso de clandestino cum
 Gallis commercio insimulatus, atque
 a Rege ampla sua antehac demandata
 agendi facultate privatus esset, unde
 iterato exclamare audiebatur: *honorem
 meum mihi deprædati sunt, haud ultra sal-
 vo honore meo in hoc sæculo vivere valeo,
 necesse est, ut me in Carthusia quadam ab-
 scondam.* Eodem pene tempore Catho-
 lici exercitus Fœderati post Thilium
 Ductor Joannes Anholtius Comes arte
 militari illustris die decima nona No-
 vembris e castris & vivis excessit. Pa-
 riter ex iisdem Mantuanis castris Rem-
 boldus Collaltus Comes spoliis, victo-
 riis, ac gloria dives prope Curiam Rhæ-
 tix Metropolin in mortis prædam Men-
 se Novembri cecidit, cujus Cadaver Vien-
 nam translatum in sacra æde Carme-
 litaram terræ mandatum quiescit. Pau-
 lo ante Joannes ab Hyen Cæsaria Con-
 siliis violenta morte sublatus est; cum
 etiam per Halberstatensem Episcopatum
 Cæsarei edicti executionem in se rece-
 pisset, inde Coloniam reversus, a Bel-
 gicis calonibus non modo equis pecu-
 niisque, sed ipsa etiam vita spoliatus
 est. Inter Ecclesiasticos hoc anno in
 Polonia Eustachius Volovicus Viloer-
 sis Episcopus, & Martinus Siovius Cra-
 covien-

coviensis Antistes obiere, quos pari Sæc. XVII.
fato sequebatur Stephanus Chmiele- A. C. 1630.
cius, Palatinus Rūoviensis Cosaccorum
Dux, qui multis & insignibus victoriis
clarus, primus Tartaros superari posse
docuit, eosque semper, numero licet
minor, pudendis cladibus obtrivit.

§. CXIV.

*Hungaria & Polonia variis motibus
concussa.*

Quantumvis Ferdinandus Imperator
in Posoniensi conventu Hungariæ
Ordinibus sectæ suæ libertatem indul-
sisset, veritus, ne Reformationis edicto
exasperati novos belli tumultus conci-
tarent, Turcasque aliunde crebris in-
cursionibus Hungariam infestantes e-
vocarent, nihilominus mortuo Gabriele
Bethlenio Georgius Ragotsius, exclu-
sis Catharina Brandeburgica Bethlenii
Vidua, Stephano Clakio & Stephano
Bethlenio Gabrielis Fratres, Transyl-
vaniam sibi soli, nova in Cæsarem ad-
ornata seditione vendicabat. Eapro-
pter Nicolaus Esterhasius Regni Pala-
tinus, ut periculosis ejusmodi turbis
tempestive occurreret, contractis illico
copiis Transylvaniæ fines obsedit, da-
tisque ad Ragotsium literis illum ab-
usurpando hoc Principatu dehortaba-
tur,

*Orthel. cont.
chron. Hung.
Regn.
Piajecc.
Chron. gest.
pag. 414.
Lotich. rec.
Germ. l. 27.
Bethlen. rer.
Transylv.
l. 1. p. 11.*

Sæc. XVII. tur, eidem pollicitus, quod, si a suo
 A.C. 1630. proposito desistere vellet, non quidem
 ex ejus meritis, sed patriæ amore ve-
 niam pro eo apud Cæsarem impetra-
 turus esset. Verum Ragotius ad has
 literas acerbis ac oppido contumeliosis
 verbis Palatino respondit. Ita omnis
 humanitatis ac correctionis impatiens
 est Calviniana arrogantia.

Nec minus pacata erat Polonia;
 cum enim Conjepolsius, Regno per
 Suecicas inducias pacato exercitum e
 Borussia reversum per diversas statio-
 nes distribueret, ac nonnullas copias
 Khioviensi Provinciæ imponeret: id
 Cofacci, qui ibidem magno numero
 sedes suas fixerant, ad se opprimendos
 factum rati, concitato tumultu Stricko-
 nem Præfectum suum, perinde ac si
 cum Regiis conspirasset, trucidarunt,
 Regiasque cohortes cæsis aliquibus in
 fugam egerunt: ubi vero Conjepolsium
 cum toto exercitu contra se movere
 intellexere, Tarasio in Ducem electo,
 trajectoque Baristene apud Pereslavium
 castra metati sunt, ast commissis in-
 fausto plerumque Marte præliis sese
 Conjepolsio dedere, ea lege, ut tu-
 multus Authores ad proxima trahe-
 rentur comitia Regis arbitrio puniendi,
 novumque Ducem a Rege acciperent.
 Sedato Cofaccorum tumultu Borussicæ
 copie

copiæ hac occasione congregatæ novam Sæc. XVII.
 conflarunt seditionem, electoque Duce A. C. 1630.
 Jarosio Wiliniskio non modo stipendia
 præterita sibi numerari, sed & damna
 hoc bello accepta restitui imperiosius
 efflagitarunt: quocirca Rex tum ex
 proprio peculio, tum fide publica pe-
 cuniam mutuatus, stipendia persolvit,
 militemque placavit, damnorum com-
 pensatione primum dilata, post & ne-
 glecta. Sub idem tempus Wallenstei-
 nius acrius multo & importunius pro
 copiis Cæsareis, quas Arnheimius an-
 no superiore Polonis auxilio submise-
 rat, satisfieri petiit, ad proxima ta-
 men comitia rejectus, monitus inte-
 rim, ut in memoriam revocaret, quod
 Poloniæ Rex sæpius validas quoque
 suppetias Cæsari submisisset.

§. CXV.

*Diversæ Urbani VIII. Papæ Con-
stitutiones.*

Inter Pastorales curas, quibus Urba- Bull. Magn.
 nus VIII. Pontifex Maximus Rem- Urb. VIII.
 publicam Christianam regere satage- Const. 106.
 bat, haud infima erat, Ecclesiasticam
 disciplinam restituendi sollicitudo. Hanc
 in rem plures hoc anno Constitutiones
 edidit, ac primo quidem die decima
 nona Junii statuit, ne facultas eligendi
 Con-

Sæc. XVII. Confessarium virtute Bullæ Cruciatæ
 A. C. 1630. nec extra forum conscientiæ ad Regu-
 lares utriusque sexus vel cuiuscunque
 Ordinis extendatur. Die autem vige-
 sima septima Augusti cuilibet Ecclesiæ
 ac Monasteriis ditionis Pontificiæ cer-
 tam pecuniarum summam imposuit,
 ex qua Clerici in Seminario Romano
 alerentur. Sequentis vero Mensis die
 vigesima prima Fratrem Joannem de
 Deo Congregationis FF. de misericor-
 dia Fundatorem in Beatorum Confes-
 sorum numerum retulit, atque Officium
 Missamque de eo celebrandi facultate
 concessit, prohibuitque, ne Scho-
 læ deinceps sub denominatione piarum
 scholarum ab aliis, quam Religiosis ita
 nuncupatis erigantur, Cum autem
 jam a quingentis annis circa admini-
 strationem, Dominium & usum Eccle-
 siæ S. Ambrosii Mediolanensis & contro-
 versia inter præfatæ Ecclesiæ Admini-
 stratores, & Canonicos Monachos
 Cistercienses ferveret, hoc anno die
 septima Decembris concordiam restituit.

§. CXVI.

*Varie sacrarum Congregationum
 Decisiones.*

Decis. S. **E**xstant pariter plura decreta, quæ
Congr. Con- exortis variis dubiis hoc anno a
cil. rit. &c. Sacra

Sacrarum Congregationum Judicibus Sæc. XVII. A. C. 1630.
 fuere emanata, inter quæ præprimis die
 quinta Februarii decisum habetur, quod Ordinarius, & eorum Vicarii ab
 Excommunicatione, quæ ob extractio-
 nem fugientium ad loca immunia incur-
 ritur, absolvere nequeant. Eiusdem
 Mensis die decima sexta sacra Rituum
 Congregatio statuit, quod ante San-
 ctissimum Sacramentum publice expo-
 situm; nec Concio haberi, nec Episco-
 pus & Canonici assistere valeant, nisi
 detecto capite; declaratum quoque die
 vigesima prima præfati Mensis, quod
 qui partem fecit operum in prima Heb-
 domada Jubilæi, reliqua vero in se-
 quenti, non videatur consequi posse
 Indulgentiam, eoquod Jubilæi forma
 præscripta sit disjunctiva, non vero
 conjunctiva quoad illas duas hebdo-
 madas. Eadem die Urbanus VIII. in
 Congregatione S. Officii decidisse dici-
 tur, quod obligatio denunciandi solli-
 citantem limitetur, quando adesset pe-
 riculum, quod Persona revelans non
 teneretur secreta, proin ex revelatione
 sibi gravia incommoda impenderent:
 ii tamen monendi sint, quod cessan-
 tibus hisce periculis teneantur denun-
 tiare. Sequenti die sacra Episcoporum
 Congregatio declaravit, quod Excom-
 municatus, si ante absolutionem esset
Hist. Eccles. Tom. LIX. Aa re-

*Nicol. in
 lucubr. t. 2.
 Can. 1. 5.
 tom. 38. n. 8.*

Sæc. XVII. receptus ad habitum, eo spoliari debeat.

A. C. 1630. Rursus eadem Congregatio die decima quarta Martii statuit, quod omnes Curati, licet exempti, aut Regulares, (secus si non sint Parochi) teneantur interesse Congregationi casuum conscientiarum. Decrevit quoque sacra Rituum Congregatio die vigesima tertia Martii, quod eligi possint in Patronos ii duntaxat, qui ab Ecclesia Universalis titulo Sanctorum coluntur, non autem Beatificati, electio autem ejusmodi Patroni per secreta suffragia fiat a populo, mediante conventu generali illius civitatis, non autem ab Officialibus solum: accedat tamen consensus Episcopi & Cleri illius loci: causæ autem eligendi novos Patronos referantur, & examinentur, & approbentur a S. Congregatione. Circa Moniales vero die decima nona Aprilis sacra Episcoporum Congregatio declaravit, quod videntes observantiam Regulæ & Constitutionum Ordinis, non ideo obstringantur ad omnia in eis contenta sub mortali. Statuit insuper S. Congregatio Concilii die decima tertia Julii, quod nuptiarum benedictio non valeat fieri, nisi inter Missarum solemnias.

§. CXVII.

Sæc. XVII.
A. C. 1630.*Venerabilis Patris Dominici a Jesu
Maria Carmelitarum Discalcea-
torum Præpositi Gene-
ralis prætiosa mors.*

Iniquissimo illo tempore, quo Ecclesiæ Catholicæ hostes cladem Pragæ ante decennium acceptam ulcisci parabant, decessit Venerabilis Pater Dominicus a Jesu Maria gloriosus Bohemorum rebellium domitor. Hujus Viri civitatem prævenerat Deus pluribus prodigiis, quæ futuram sanctitatem præfagebant: Infantulus adhuc non modo acceleratum rationis usum, sed etiam præfestina operantis gratiæ charismata animo ad virtutum exercitia propensissimo prodebat. Vix quintum ætatis annum attigerat, cum misericordia in pauperes cum ipso excrecente, ipsum Christum Dominum in forma mendici hospitem recipere mereretur. Patre suo orbatus a P. Francisco Lopes avunculo suo Bilbiliensis Conventus Carmelitani Priore, ut jugum Domini ab adolescentia portare addisceret, in Conventum receptus, majore adhuc sollicitudine mortificationis pietatisque exercitia diu noctuque frequentabat; cumque se ad vitam Religiosam vocatum

*Caramuel
Vit. V. Do-
minic. Spon-
dan. Annal.
Eccl. anno
1620. Ecci.
de bell. Ger.
lib. 2.
Nieremberg
in Troph.
Marian.
Miræus
Script. Eccl.
Sæc. XVII.*

Aa 2

Sæc. XVII. tum sentiret, magno cordis jubilo ac
 A. C. 1630. spiritus fervore inter mitigatos Carme-
litas tyrocinnium anno ætatis suæ duo-
 decimo incæpit, ac expleto vitæ Reli-
 giosæ quadriennio sese Deo solemni vo-
 torum sponsione dicavit. Anno autem
 ætatis vigesimo ob innatam pulchritu-
 dinem a quadam Nobili puella ad la-
 scivum amorem incassum sollicitabatur,
 quæ tamen despectum sui amorem in-
 dignata, juvenem, cum in Ecclesia so-
 lus vespere esset, per perditos homi-
 nes ad suam domum rapi curavit, ubi
 ut Dominicum ad sua vota pelliceret,
 quæ ipsa dixerit, feceritque, honestas
 exprimere vetat: cum vero nec suis
 blanditiis nec minis, nec furore, ani-
 mum fortitudine ab Alto obfirmatum
 frangere posset, in se reversa ac com-
 puncta ad pedes Domini criminis sui
 veniam deprecata est: Ex hac pugna
 victor in Conventum reversus Domi-
 nicus, cuncta suo Superiori revelabat,
 rogans, ut hujus puellæ nunc jam pœ-
 nitentis honori famæque parceretur,
 ipse vero Cæsar augusta, ubi ejus fan-
 ctitas jamjam innotuerat, ad solitarium
 conventum mitteretur. Demum Valen-
 tiam missus, sacrisque Ordinibus ini-
 tiatus, divulgata prodigiorum fama,
 ab ipso Philippo II. ejusque Filia Is-
 bella Eugenia invisebatur, quam ta-
 men

men nonnisi voce obedientiæ e latebris **Sæc. XVII.**
 extractus accessit, Regique infaustum **A. C. 1630.**
 Hispanæ classis contra Anglos succes-
 sum prædixit: Postea, ut a sæcula-
 rium applausu remotior esset, majoris
 perfectionis ac solitudinis desiderio in-
 citatus, in Celebris Pastranensi tyro-
 cinnio Carmelitarum Excalceatorum
 Novitium egit, & professione anno
 Christi millesimo quingentesimo nona-
 gesimo emissa in variis conventibus lu-
 culenta sanctimonix prodigiis compro-
 batæ specimina edidit, omnesque ho-
 norum gradus, invitus licet, emensus,
 tandem in Generalem Excalceati Car-
 meli Præpositum electus est. Jam an-
 tea auctoritate Apostolici Nuntii mu-
 nitus, ex Hispania in Italiam novellæ
 Congregationi Carmelitanæ profutu-
 rus, unacum Sociis suis a Paulo V.
 Panormum ad Siciliae Proregem, &
 postea sollicitantibus Cæsare & Bavaro
 Duce in Germaniam pro vindicanda
 Dei gloria, & Ecclesiæ bono decerne-
 batur, ubique mirabilia operatus, præ-
 cipue cum celebrem victoriam Pragæ
 adversus rebelles Bohemos suis preci-
 bus promovemat: Inde Praga in Bava-
 riam cum Maximiliano Duce reversus,
 petente Cæsare Viennam contendit,
 ubi Ferdinandus II. Imperator in grati-
 animi testimonium Carmelitis Discal-
 ceatis

Sæc. XVII. ceatis plura monasteria extruxit, ac
A. C. 1630. primo quidem Viennæ & postea die un-
 decima Aprilis anno Christi millesimo
 sexcentesimo vigesimo nono alium Gre-
 cii conventum fundavit, in suo diplo-
 mate hæc subjungens: Quando animi
 nostri gratitudo jugiter nobis in memoriam
 reuocat memorabile illud, ac veri miraculi
 loco habendum exemplum, ubi omnibus ser-
 nostris hæreditariis Regnis & Provinciis
 lethali hæresum & rebellium plaga afflictis,
 unica ipsorum salus ab unico Pragensi con-
 flictu dependere videbatur, & cum Cæsa-
 reus tum noster atque ceterorum Catholi-
 corum Principum exercitus, non humanis
 viribus, sed sancta potissimum honorabilis
 ex Religioso fratrum Carmelitarum Di-
 scalceatorum Ordine Patris Dominici a Je-
 su Maria benedictione, & divinæ gratiæ
 oraculo fretus, hostem aggressus, illam vi-
 lustrem victoriam, omnium ceterarum victo-
 riarum, & cum Regnorum, & Pro-
 vinciarum, tum maxime Catholicæ Reli-
 gionis restitutæ, omniumque aliorum pro-
 sperorum pnogressuum originem tam feliciter
 obtinuit: Nos de potentibus dicti P. Do-
 minici apud divinam misericordiam precibus,
 uti etiam de totius Ordinis sui cognita gra-
 tissima apud Deum pietate, & Catholicæ
 fidei Zelo, necnon præstanti literarum do-
 ctrina, vitæque imprimis ac morum sancti-
 tate, tam quoque insignibus humilitati,
 Pau-

Paupertatis, nuditatis, abstinentiæ, & je- Sæc. XVII.
juniorum, compluriumque bonarum actio- A. C. 1630.
num meritis plurimum confidentes, veluti in
certam omnium ulteriorum optatorum suc-
cessuum, ac cælestium gratiarum spem, istis
in partibus nova Beatissimæ Virginis Ma-
riæ de Monte Carmelo, & Matris There-
sæ Monasteria fundavimus, & ereximus &c.

Postquam vero Dominicus in Lo-
 tharingiam evocatus, dissidia inter
 Henricum Ducem ejusque Fratrem ex-
 orta composuerat, inde Bruxellas
 profectus, Archiducem Albertum ad
 extremam luctam accinxit, eoque fa-
 tis functo Galliam magno cum honore,
 animarumque proventu lustravit, tan-
 dem die nona Decembris anno hujus
 sæculi vigesimo primo Romam rever-
 sus est, a Gregorio XV. maximis bene-
 volentiæ signis exceptus: octavo au-
 tem post anno rursus ab Urbano VIII.
 procurandæ pacis arbiter inter Ferdi-
 nandum II. Cæsarem, & Carolum
 Mantuæ Ducem Viennam ablegatus
 die secunda Februarii in lethalem inci-
 dit infirmitatem, qua indies aucta,
 sacris morientium Sacramentis muni-
 tus, ex Aula ad conventum suum de-
 ferri haud amplius potuit, nec Impe-
 rator sustinuit, quem octava die allo-
 cutus Dominicus, unice rogabat, ut
 pacem Italiæ redderet, postea excla-
 mans:

Sæc. XVII. mans : *O felix nuntius, o dies dierum!*
A. C. 1630. per octo continuos dies velut placidissimo somno sopitus fixis in cælum oculis tandem die decima sexta ejusdem Mensis annos natus septuaginta & unum obdormivit in Domino. Porro de mirifico hujus Viri in dæmones imperio, vaticiniis, divinis communicationibus, & prodigiis silemus, ne S. Congregationis, apud quam hujus Viri virtutes & miracula pro futura Apotheosi discutiuntur, judicium prævertere, vel decreta Pauli V. Urbani VIII. aliorumque Pontificum transgredi videremur.

Scriptit Venerabilis hic Pater I. *sententias spirituales circa viam purgativam, illuminativam & unitivam in varia idiomata translatas ac iterato excusas.* II. *Argumenta Psalmorum à S. Patrum & Doctorum expositione decerpta.* III. *Tres literas Pastorales ad universam Congregationem Carmelitanam.* IV. *Vitam V. F. Alexii Poloni a S. Bernardo.* V. *Concordiam spiritualem.* VI. *Relationes* VII. *Theologiam Mysticam.* VIII. *Directorium bene moriendi.* IX. *Librum de protectione B. V. M.*

Sæc. XVII.
A. C. 1630.

§. CXVIII.

Scriptores Ecclesiastici Religione Catholicæ hoc anno defuncti.

Ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui hoc anno obiit, suis lucubrationibus de Ecclesia Catholica sese bene meritos reddiderunt, primo loco recensendus venit Gabriel Albaspinæus ex nobilissimo genere in Galliis natus, qui in peruestigandis Ecclesiæ antiquitatibus indefessus, ad Aurelianensem Episcopatum nominabatur, a quo tamen Aulicorum odio ejectus Gratianopoli die decima quinta Augusti decessit. Scripsit I. observationes Ecclesiasticas II. de antiquis Ecclesiæ ritibus, III. annotationes in Optatum Milevitanum, & Tertullianum contra Rigaltium, IV. notas in Canones Concilii Eliberitani, pluraque alia. II. Joannes Paludanus Canonicus Mechliniensis Theologiæ Doctor & Professor, qui vindicias Theologicas contra Verbi Dei corruptelas, Apologeticum Marianum, Officinam spirituales sacris Concionibus aptatam, necnon alia opuscula edidit. III. Hieronymus de Aldovera Ord. FF. Eremitarum S. Augustini circa varia argumenta suum calamus exercuit, vulgavitque discursus in festa Sanctorum.

Aa 5

IV. Bar-

*Samarit.
Gall. t. 2.
Mir. Script.
Sæc. XVII.
Nicol. Ant.
tom. I. Bibl.
Hisp.*

Sæc. XVII. IV. Bartholomæus Petrus Theologie
 A. C. 1630. Professor & Duacensis Canonicus, qui
 die vigesima sexta Februarii annos na-
 tus octoginta quinque decessit, post-
 quam posteris reliquerat commentarium
 in Acta Apostolorum, veteres Sedis
 Apostolicæ decisiones de Gratia cum
 annotationibus in Epistolam S. Caele-
 stini Papæ pro B. Augustino, librum
 Vincentii Lirinensis contra hæreses
 pluraque alia. V. Philippus Faber ex
 Ord. S. Francisci, qui tractatum de Pri-
 matu Petri & Pontificis Romani, de
 censuris Ecclesiasticis, de prædestina-
 tione adversus Atheos, & de diversis
 aliis argumentis libros edidit. Obiit
 die vigesima octava Augusti anno re-
 gni Caroli sexti sexagesimo sexto. VI. Jodocus
 de Castro Bruxellensis Monachus, qui ty-
 pis vulgaverat Decachordon morale,
 conciones in Evangelia Dominicalia,
 Elenchum ad formandas Conciones
 &c. VII. Joannes de Wiclen Belgæ,
 qui tecto nomine edidit libros de *Per-
 grinationibus, honore Reliquiarum, im-
 catione Sanctorum, & de præcipuis
 articulis adversus hæreticos: Iter Romæ
 num, Extractum Catholicum, Annum
 reum cujusque diei Domini i ac festi Euan-
 gelia continentem, contemptum mundi mu-
 liebris &c.* VIII. Sanctus a S. Cathe-
 rina Monachus Gallus scripsit exercitium
 spiri-

spiritualia, gradus humilitatis, flam- Sæc. XVII.
 mam Divini amoris &c. IX. Nicolaus A. C. 1630.
 Roman Carmelita scripsit elucidationes
 varias de antiquitate, & dignitate scri-
 ptorum Illustrium, & epitome de vita
 & miraculis S. Andreæ Corsini. X. An-
 tonius Vasquez de Espinosa ex eodem
 Ordine scripsit *Confessarium generalem,*
lumen & viam ad cælum, modum faciendi
contractus cum Indis Peruce & novæ Hi-
spaniæ, summarium indulgentiarum, Iti-
nerationem & navigationem classis novæ,
Hispanæ & Indiæ descriptionem. XI.
 Bernardus Paxillus Ord. FF. Prædica-
 torum edidit Monomachiam pro defen-
 sione SS. Trinitatis contra Arianos,
 libros de Primatu Papæ, de processio-
 ne Spiritus Sanctus & de militia Chri-
 stiana. XII. Guilielmus Oonfelius ex
 eodem Ordine Orator facundus, Offi-
 cinam ex sacris Bibliis, notas rerum
 sacrarum ex S. literis, triumphum
 Sponsæ Christi Romanæ Ecclesiæ, rui-
 nam Calvinianæ & Lutheranæ syna-
 gogæ præter sermones quamplurimos
 publici juris fecit. XIII. Joannes a
 Gouda S. J. scripsit tractatum pro tran-
 substantiatione, aliosque libros polemi-
 cos contra Gomaram, Henricum Brand,
 Henricum Boxhorn, Hogium, alios-
 que hæreticos præter examen de aucto-
 ritate Magistratus Christiani in rebus
 fidei.

Sæc. XVII. fidei. XIV. Benedictus Ferdinandus
A. C. 1630. ex eadem Societate elucubravit tomos
 tres commentationum in Genesim, præ-
 ter commentarios in Lucam: in Can-
 tica vero scripsit Paraphrasin Arnoldus
 Cathius S. J.

§. CXIX.

*Quidam Protestantium Scriptores hoc
 anno mortui.*

Paucos etiam, qui ex Scriptoribus
 A catholicis hoc anno decesserunt
 recensere lubet, & primo quidem Theo-
 dorus Thummius Tubinganus Doctus
 edidit suam Misandropiam Calvinisti-
 cam, tractatum Theologicum de bello
 tam offensivo, quam defensivo, de ho-
 nis Ecclesiæ, de sagarum impietate,
 de traduce seu ortu animæ rationalis
 de hæreticis non occidendis, de usura
 de igne Purgatorio præter plures alios
 tractatus. II. Mathias Martinius Bre-
 mensis Doctus scripsit libros de duabus
 Christi Nativitatibus, de triplici lege,
 de unica Christi Persona, de præsen-
 tia Christi in Cæna, de vera Religione,
 præter epitomen Theologiæ, Brevi-
 rium de vera Religione, Theologiam
 popularem, Examen Catecheticum,
 pluresque alios ejusmodi tractatus. III.
 Sebastianus Benefeld Anglus, qui po-
 steris

steris reliquit sex capita doctrinæ Christi-
 fianæ, appendicem de Conciliis Evan-
 gelicis, & libros duos de perseveran-
 tia. IV. Petrus Jonæ Suecus edidit
 quæstiones de sanctis Patribus, quo
 tempore vixerint, & quibus in locis de
 præsentia Christi in cæna mentionem
 faciant. Scripsit etiam de vetustate
 dogmatis Calvinistarum, & quinam
 ejus præcipui fuerint Patroni.

Sæc. XVII.
 A. C. 1630.

§. CXX.

*Statuta in Congregatione Decano-
 rum Antverpiensis & Yprensis
 Diæcesium.*

Hoc item anno die vigesima octava
 Augusti Joannes Malderus Antver-
 piensis Episcopus convocatis suæ Diæ-
 ceseos Decanis quædam condidit sta-
 tuta, in quibus tamen nil singulare
 occurrit, sed potissimam partem, quæ
 in aliis Synodis decreta, innovantur.
 Die autem secunda Octobris Georgius
 Yprensis Episcopus parem habuit Con-
 gregationem, ne singulis annis non
 sine gravi molestia atque expensis so-
 lemnem Synodum Diæcesanam cele-
 brare teneretur: Qua autem ratione
 quotannis ejusmodi Congregationes,
 & Parochorum Capitula fierent, varia
 præ-

Concil. Ger-
 man.
 Hartzh.
 tom. 9.

Sæc. XVII. præscripsit, inhibuitque, ne in visita-
 A. C. 1630. tionibus Decanorum majores expen-
 fierent, sique ipsum Episcopum in sua
 visitatione circa meridiem alicubi di-
 vertere contigerit, nonnisi moderata
 ibidem refectio pararetur. Præterea
 casuum reservatorum numerum re-
 strinxit, eoquod sæpe poenitentes, dum
 ad alios remittuntur, a confessionis re-
 medio, vel a suis Pastoribus alienentur.

§. CXXI.

*Synodi Osnabrugensis Diœcesanæ
 Constitutiones.*

Rursum die quinta Martii Franciscus
 Guilielmus Osnabrugensis Episco-
 pus diœcesanam habuit Synodum, in
 qua suam diœcesin in varios decana-
 tus distribuit, ac de officio Decano-
 rum egit, præcepitque, ut ante Sy-
 nodum semper conventus Capitulares
 haberentur. Quoniam vero Ferdinandus II. Imperator, ut Deo pro tot re-
 portatis victoriis grates rependeret,
 singulari honore Beatissimam Virgi-
 nem colere statuerit, ac per Roma-
 num Imperium Festum ejusdem im-
 maculatæ Conceptionis solemnè rita-
 quot

quotannis celebrari desiderarit, hinc Sæc. XVII.
idem Episcopus in sua Synodo edi- A. C. 1630.
ctum promulgavit, vi cuius deinceps
hoc Festum cum octava perpetuo ce-
lebrari, ac pridie abstinenciam a car-
nibus servari mandatum est: pariter
in festo B. V. Annuntiatae publicas
supplicationes & gratiarum actiones,
sacrum solemne & Conciones per
civitatem & urbem haberi præceptum,
eoquod hac die anno Christi millesi-
mo sexcentesimo vigesimo octavo,
expulsis Lutheri & Calvinii erroribus,
vera fides, Parochiæ & monasteria
per Diæcesin fuissent re-
stituta.



LIBER